
2
VII 45

PERPETUA

ECCLESIÆ

DOCTRINA

DE INFALLIBILITATE

PAPÆ

In decidendis ex Cathedra Fidei quæstionibus extra Concilium Oecumenicum, & ante Fidelium acceptationem.

PRÆCLARISSIMÆ AC RELIGIOSISSIMÆ

SOCIETATI JESU

DICATA

AB ALOYSIO ANDRUZZI

Phil. ac Theol. Doctore

Et in inclyta Facultate Bononiensi Professore.

Bononiæ typis Constantini Pisarri Sanctæ Inquisitionis Impressoris sub Signo S. Michaelis. 1720. *Superiorum permissu.*

PRÆCLARISSIMÆ AC RELIGIOSISSIMÆ

SOCIETATI JESU

ALOYSIUS ANDRUZZI.

Perpetuam felicitatem.

SI tanta gratia Parentibus, qui nobis vitam, libertatemque tradunt; quanta Magistris, qui bonarum artium disciplinis nos, institutisque philosophiæ ad honestatem fingunt, referenda est: immensum profectò quiddam, & infinitum puto,

quod Tibi debeo ; quippequam non scientiarum solum, verum etiam animi, virtutisque Magistram semper ab ineunte ætate habuerim. Cum enim facile intelligam hominis grati esse post acceptum beneficium, statim de reddendo cogitare ; minime mirum est, si crebra Tua, & immortalia beneficia vehementer me excitaverint ad exilem aliquam observantiæ, gratique animi qualemcumque testificationem palam Tuo Nomini exhibendam. Ego enim statueram silentio vitam transigere ; cum nihil grande, TANTAQUE SOCIETATE nihil dignum allaturus viderer. Sed cum perpenderem sedulò, ac memoria repeterem singularem illam, inauditamque beneficentiam, qua me patria tandiu profugum, & avitis opibus, nobilitateque ab Othomana Tyrannide ob tuendam Sedem Apostolicam,

cui certè vel sanguinem devovissem, orbatum, nobilissima Tua pars Reverendissimus Assistens Italiæ HORATIUS OLIVERIUS pietate, illibatoque morum candore insignis Vir, ac Magni CLEMENTIS XI., quem diu superi Humani Generis felicitati commodent, consanguineus, per quinque lustra assiduè sublevat, pendentem non sinit ruere, jacentem erigit, labentem excipit, re, fortuna, consilio, auctoritateque fulcit, ac sustinet: Tunc enim vero adductus sum, ut existimarem tenuem hunc operis mei laborem Tibi fore non injucundum. Meminisse enim Te opinor quidquid Sacrarum Scientiarum hactenus hausi, invicto Bellarmino Tuo, & eximio Doctori Suarez me acceptum referre, omneque mei opus ingenii tuum esse, vel antequam prodeat: præsertim cum ad tam suave obeundum mu-

nus

nus inflammet me pulchra illarum virtutum recordatio, in quibus habes profectò aliquid, undè ità sint Tuæ, ut non sint cæterorum. Jamque libenter hìc, ac fortasse æquiori jure, quàm alii, verius certè illustrem pietatem tuam, candorem, honestatem, facilem, blandamque morum gravitatem, ac singularem sapientiam prædicarem; si quod factorum majestati est consentaneum, liceret potius dicere, quàm quod modestia Tua, ac moderatio ferret. Tu interea consiliorum meorum adjutor Dive IGNATI, *qui e beatis Sedibus rara sæculi nostri ornamenta Eminentissimos Cardinales* PTOLEMÆUM, *atque* SALERNUM *vides, quanta doctrina, omniumque virtutum luce Universam Ecclesiam illustrent, atque exornent; qui vivam pietatis Tuæ imaginem in Reverendissimo, eodemque Doctissimo Præpo-*

sito

ſito Generali TAMBURINO *cernis; Tu, inquam, glorioſiſſime tot heroum Parens, quotquot per orbem terrarum Chriſtianam fidem longè, latèque circumferunt; quotquot velut Divini Spiritus Tubæ a vitiis ad virtutem contumaces hominum animos revocant, & ab iſta fluxarum rerum pictura ad æterna bona traducunt; quotquot lectiſſimum Juventutis florem ſanctiſſimis exemplis æquè, ac literis informare ſolent: Tu demum Sancte* IGNATI, *cujus nomine nihil mihi jucundius accidere unquam poteſt,* SOCIETATEM *hanc tam præclarè de univerſa Chriſtiana Republica meritam fortunes velim, ut ſemper ſit omnibus Gentibus, poſteritatique perſpicua.*

AD-

ADMONITIO
AD LECTOREM.

ANimadvertas velim Capite III. primi libri quædam a me Concilia nominari, quæ Comitia, vel, ut vulgo dicimus, *Assemblee*, fuerunt. Ego enim animum ad Episcoporum consensionem in re, quam tueor, adieci. Cave autem mireris inconstantiam Petri de Marca. Quamquam enim in ejus opus *de concordia Sacerdotii, & Imperii*, quædam irrepserint, quæ nonnihil Sedis Apostolicæ dignitati detrahunt; consilium tamen postea, mentemque Auctor sine controversia mutavit in Epistola Anno 1669. edita, operique suo præfixa, & Eminentissimo Cardinali Francisco Barberino scripta, cujus hæc est sententia: „Præterea vero disertis verbis quæcumque de controversiis „illis canonicis scripseram, SUMMO SEDIS APOSTOLICÆ JUDICIO commisi ex solemni formu„la, qua sola, etiam hæreseos labes libris publicatis „inspersa dilui solet. Imo idem nonnullis scriptis, quæ illi ultima operum mortalium fuere, ore pleno prædicat, ut ostendimus, Romani Pontificis infallibilitatem.

IN-

INDEX CAPITUM
LIBRI PRIMI.

CA-

CAPUT III.

CAPUT IV.

CAPUT V.

CAPUT VI.

CAPUT VII.

CAPUT VIII.

LIBER

LIBER PRIMUS

CAPUT I.

Gallicanæ Ecclesiæ Sancti Patres ore pleno prædicant judicium Papæ circa quæstiones Fidei esse irreformabile, cum ex cathedra definit.

LIceat mihi in qualibet hujusce Operis mei parte Gallicanos Patres cæteris anteferre, eo nimirum consilio, ut omnes facile intelligant, quàm venerabunda semper Gallorum Natio infallibile Sedis Apostolicæ Magisterium coluerit, propugnaverit, implorarit.

Prodeat igitur primus omnium Sanctus Bernardus immortale quidem Galliæ Sidus, gravissimoque suo testimonio, & auctoritate ineluctabilem veritatem, quam, bene juvante Deo, propugnandam suscipio, confirmet, atque illustret. Jam vero hic sacer Doctor epist. 190. ad Innocentium Romanum Pontificem ita scribit, ut sentit:

„ Oportet ad vestrum referri Apostolatum pe„ricula quæque, & scandala emergentia in Re„gno Dei, ea præsertim, quæ de Fide contin„gunt. Dignum namque arbitror ibi potissimum

„resarciri damna Fidei, ubi non possit Fides sen-
„tire defectum. Hæc quippe hujus prærogativa
„Sedis. CUI ENIM ALTERI aliquando di-
„ctum est? Ego pro te rogavi, Petre, ut non
„deficiat fides tua. Ergo quod sequitur, a Petri
„Successore exigitur: & tu aliquando conver-
„sus confirma fratres tuos. Id quidem modo
„necessarium. Tempus est, ut vestrum agno-
„scatis, Pater amantissime, principatum, pro-
„betis zelum, ministerium honoretis: in eo plæ-
„ne Petri impletis vicem, cujus tenetis & Se-
„dem, si vestra admonitione corda in fide flu-
„ctuantia confirmatis, si vestra auctoritate con-
„teritis fidei corruptores.

Quo quidem testimonio quid clarius, quidve illustrius?

Sanctus Thomas Aquinas Universitatis Parisiensis alumnus, ac in ea deinde celeberrimus Magister, & Doctor verè Angelicus 2. 2. quæst. 1. art. 10. maturè, ac de industria rem perpendit, atque hunc fronti quæstionis præfigit titulum: *Utrum ad Summum Pontificem pertineat Fidei Symbolum ordinare*: tum decidit in eam sententiam:

„Dicendum quod, sicut supradictum est, no-
„va editio Symboli necessaria est ad vitandum
„insurgentes errores. Ad illius ergo auctorita-
„tem pertinet editio Symboli, ad cujus aucto-
„ritatem pertinet finaliter determinare ea, quæ
„sunt Fidei, ut ab omnibus inconcussa fide te-
„neantur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem
„Summi Pontificis, ad quem majores, & diffi-
„ciliores Ecclesiæ quæstiones referuntur, ut di-

„citur in Dec. Dist. 17. c. multis. Unde & Do-„minus (Luc. 22.) Petro dixit, quem Summum „Pontificem constituit: Ego rogavi, Petre, ut „non deficiat Fides tua, & tu aliquando conver-„sus confirma fratres tuos. Et hujus ratio est, „quia una fides debet esse totius Ecclesiæ secun-„dum illud 1. ad Cor. *Id ipsum dicatis omnes, &* „*non sint in vobis schismata*: quod servari non pos-„set, nisi quæstio Fidei de fide exorta determi-„netur per eum, qui toti Ecclesiæ præest, ut sic „ejus sententia a tota Ecclesia firmiter tenea-„tur; & ideo ad solam auctoritatem Summi Pon-„tificis pertinet nova editio Symboli, sicut & „omnia alia, quæ pertinent ad totam Ecclesiam, „ut congregare Synodum generalem, & alia „hujusmodi.

Rursus idem Sanctus Doctor lib. contra impugnantes Religionem, ait: „Unde patet quod „quicumque dicit non esse obediendum in his, „quæ per Papam statuuntur, IN HÆRESIM „labitur.

Ergo dogmaticæ Definitiones Papæ per se ipsas solum ante consensum Ecclesiæ, & extra Synodum generalem editæ, sunt penitus infallibiles; alioquin non laberetur in hæresim quicumque eas refellere auderet.

Sanctus, immo vero etiam Seraphicus Bonaventura dicit:

„Hinc Petrus a Petra dictus, a Domino po-„situs est Ecclesiæ fundamentum: Tu es Petrus, „& super hanc Petram ædificabo Ecclesiam „meam: ubi Rabanus, ut omnes per orbem cre-„dentes intelligant, quia quicumque ab Unita-

„te, & Societate illius segregant se ipsos, nec a „vinculis peccatorum absolvi, nec januam pos„sunt Regni Cælestis intrare. Hinc Petro (a) „Dominus dedit super alios Apostolos ordina„riam potestatem, dicens: Et tu aliquando con„versus confirma fratres tuos. In hujus rei figu„ram dicitur in lib. Sapientiæ, quod in veste, „quam habebat Aaron, totus erat orbis terra„rum. Quod si UNUS non esset, qui in omnes „exercere posset jurisdictionem, ubi maneret „status Ecclesiæ? Si Partibus discordantibus „non esset, qui possit manum mittere in amba„bus; fuisset Synagoga felicior, quàm Eccle„sia; quia illa habebat unum Summum Pontifi„cem, qui omnes discordias poterat,(b) termi„nare.

Rursus idem Apolog. pauper; Quod si tem„pore (inquit) Sacerdotii figurativi, Pontificis „sententiæ adversari malum erat, mortisque „pœna mulctandum; multo fortius tempore „Veritatis, & Gratiæ revelatæ, quando Christi „Vicario plenitudo potestatis collata esse di„gnoscitur.

Hinc patet esse Papam supremum Judicem Controversiarum Fidei extra Synodum generalem; quin ejus Sententia ab accedente consensu Ecclesiæ pendeat.

Sanctus Ivo Carnotensis Decreti p. 5. Caput 40. inscribit sic: „Quod Beati Petri Sedes ca„put est omnium Ecclesiarum, & omnes decre„tis ejus assentire debent.

Ergo

(a) *S. Bonavent. init. Regul. S. Fran.* (b) *Deuteron. c. 17.*

Ergo Apostolicæ Sedis definitiones dogmaticæ non pendent ab Ecclesiæ accedente consensu.

Rursus idem Sacer Doctor c. 19. dicit „Quod „Apostolicæ Sedis judicium a nemine sit retra„ctandum. Et cap. 9. Romanam Sedem de to„ta Ecclesia judicare, ipsam vero ad nullius „commeare judicium. Et cap. 34. dicit: Quod „nulli liceat vel addere aliquid, vel demere de „decretis Pontificum.

Ergo Sedis Apostolicæ definitiones ita sunt per se ipsas certæ, ut eas nequeat Ecclesia corrigere, sed debeat venerari.

Rursus idem ep. 8. ad Richerium Senonensem Archiepiscopum, illi, qui Apostolicæ Romanæ Sedi audet refragari, notam inurit hæreseos.

„Dicitis (inquit) etiam in litteris me sedem „invasisse Gaufridi Coepiscopi vestri, in quo „manifestè contra Sedem Apostolicam caput „erigitis, dum quod illa ædificat, vos, quan„tum in vobis est, destruitis, & quod illa de„struxit, vos ædificare contenditis. Hujus ju„diciis, & constitutionibus obviare, planè est „hæreticæ pravitatis notam incurrere.

Beatus Albertus Magnus S. Thomæ Præceptor, qui tanto discipulorum concursu Parisiis docuit, ut cum Schola nimis esset angusta, in Foro, quod ab ejus nomine nuncupatur, legere sit coactus, ex verbis Christi ad Petrum; *Rogavi pro te &c.* infert Petri Successores a Fide, quantumvis illa impetatur, non defecturos: „Hoc argumentum (inquit) efficax est pro Se-

,,de Petri, & Successore ipsius, quod Fides ejus ,,non finaliter deficiat.

Beatus Augustinus Triumphus Parisiensis Universitatis Doctor, atque Professor de Potestate Ecclesiastica quæst. 10. hæc habet.

,,Si aliqua sunt dubia, & obscura in Fide, ad ,,Papam pertinet interpretari, & determinare, ,,POST CUJUS DETERMINATIONEM, ,,HÆRETICUM est contrarium pertinaciter ,,asserere.

Sanctus Anselmus ex Abbate Beccensi (qui locus est in Normandia Galliæ provincia) Archiepiscopus Cantuariensis creatus lib. de Incarnatione Verbi Urbanum II. Papam ita alloquitur.

,,Quoniam Divina Providentia Vestram elegit Sanctitatem, cui vitam, & Fidem Christianam custodiendam, & Ecclesiam regendam ,,committeret, AD NULLUM ALIUM rectius ,,refertur, si quid contra Catholicam fidem oritur in Ecclesia, ut ejus auctoritate corrigatur, ,,NEC ULLI ALII TUTIUS, si quid contra ,,errorem respondetur, consulitur, ut ejus prudentia examinetur.

Et epist. 73. ad Pasqualem II. Pontificem: ,,Non timeo (inquit) exilium, non paupertatem, non tormenta, non mortem, quia ad ,,hæc omnia Deo confortante paratum est cor ,,meum pro Apostolicæ Sedis obedientia, & Matris meæ Ecclesiæ Christi libertate: CERTI-,,TUDINEM TANTUM QUÆRO, UT ,,SCIAM ABSQUE AMBIGUITATE QUID ,,AUCTORITATE VESTRA TENERE DE-,,BEAM.

S. Go-

S. Godofredus Ambianensis Episcopus Pasqualem secundum Papam ita alloquitur: „O „Pastor orthodoxæ Matris Ecclesiæ, cui Chri„stus voluit Te suo loco præesse, ut lucem a te„nebris, verum a falso discerneres; ut enim a „capite membra reguntur, & ad illius nutum, „membrorum vitia corriguntur; sic etiam a Te „Christianorum omnium non facta dumtaxat, „sed etiam malæ voluntates comprimendæ sunt.

Sanctus demum Irenæus apostolicis temporibus proximus, idemque maximus Galliæ Doctor coronidem Capiti huic imponat, dum ita suam sententiam lib. 3. cap. 3. adversus hæreses aperire non desinit: „Quoniam igitur valde „longum est omnium hic Ecclesiarum enume„rare successiones, maximæ, & antiquissimæ, „ac ab omnibus cognitæ, a gloriosissimis duo„bus Apostolis Petro, & Paulo fundatæ Eccle„siæ, eam, quam habet ab Apostolis, & an„nunciatam omnibus Fidem, per successiones „Episcoporum ad nos usque pervenientem in„dicantes, confundimus omnes qui quoquo „modo vel per sui placentiam, vel vanam „gloriam, vel per cæcitatem, & sententiam „malam, præter quam oportet, colligunt. AD „HANC enim Ecclesiam propter potentiorem „principalitatem NECESSE EST OMNEM „CONVENIRE ECCLESIAM, hoc est qui „sunt ubique fideles, in qua semper ab his, „qui sunt undique, conservata est ea, quæ est „ab Apostolis traditio.

Articulus, AD HANC, Romanam Ecclesiam particularem indicat.

E ſententia vero S. Irenæi neceſſe eſt ad hanc Romanam Eccleſiam ſingularem, omnem convenire Eccleſiam, & omnes ubique fideles. Ergo hujuſce Romanæ Eccleſiæ ſingularis definitiones Dogmaticæ extra Synodum generalem pro re nata editæ, nullo modo pendent ab accedente conſenſu cæterarum Eccleſiarum; alioquin non neceſſe eſſet ad hanc alias, ſed hanc ad alias Eccleſias convenire: quod clarè tanti Doctoris Galliæ refragatur. Ergo Romanæ Eccleſiæ particularis, utpote capiti ſuo Romano Pontifici conjunctæ Decreta dogmatica ſunt per ſe ipſa ante conſenſum univerſalis Eccleſiæ, & extra Synodum Oecumenicam omnino certa, atque infallibilia: alioquin ſi Romana Eccleſia falli poſſet, non neceſſe foret ad hanc omnes alias convenire.

Rem exemplo Corinthiorum illuſtrare, & comprobare libet: quorum quidem Eccleſia licet a B. Paulo fundata, doctaque fuiſſet, & ejuſdem adhuc recens vigeret memoria; diſſenſerunt tamen inter ſe Corinthii circa veritatem ab ipſo traditam. Quare neceſſe fuit eos ad Eccleſiam Romanam ſingularem, utpote fideliſſimam Apoſtolicarum Traditionum cuſtodem pro cunctorum informatione recurrere: „Diſſenſione (inquit Irenæus) non modica inter eos, qui Corinthii eſſent, fratres, facta, „ſcripſit quæ eſt Romæ Eccleſia, potentiſſimas „literas Corinthiis, ad pacem eos congregans, „& annuncians, quam in recenti ab Apoſtolis „receperant, traditionem.

Quod ſi Apoſtolicis temporibus viciniores de

ea,

ea, quam in recenti receperant ab Apoſtolis, Traditione ambigentes Corinthii ad concordiam non niſi per ſingularem Romanam Eccleſiam ſuô Capiti Sancto Clementi adhæreſcentem revocati ſunt: quanto magis qui longius ab origine Apoſtolica receſſerunt, ut veritatem Fidei cuſtodiant, ad illud unitatis centrum, quod in Romana particulari Eccleſia, & Apoſtolica Sede Petri perſtat, perſtabitque ſemper immobile, convenire neceſſe eſt.

Commune hoc officium Communionis cum Romana Eccleſia, & Apoſtolica Petri Sede, cui impendendo cum cæteris Provinciis Gallia adſtringitur, ſatis perſpexerat ante omnes antiquiſſimus ille Lugdunenſium Antiſtes Irenęus, qui unus ſcripſit quod omnes profitebantur. „Ad Romanam Eccleſiam (inquit) propter po„tentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem „convenire Eccleſiam; perinde ac ſi luculenter oſtenderet eam eſſe vim unitatis, quæ principium, & originem a Petri ſede trahit, ut cum ea ſentiendi neceſſitatem cæteris imponat. Propagatam autem in ſequentes ætates apud Gallos hujus veritatis conſtantem, nec umquam interruptam profeſſionem docet S. Avitus Epiſcopus Viennenſis, qui ad Hormiſdam Papam ſcribit in hanc ſententiam. „Quia ſecurus non „dicam de Viennenſi, ſed de totius Galliæ de„votione polliceor omnes ſuper ſtatu Fidei ve„ſtram captare ſententiam.

CA-

CAPUT II.

Eamdem Veritatem Concilia Generalia Gallicana confirmant.

COncilium Lugdunense I. Generale, in quo flos Gallicanorum Præsulum aderat, Romani Pontificis infallibilitati præclarissimum hujusmodi testimonium dedit:

„Pro humanì Redemptione generis Dei filius „Jesus Christus, ne Gregem sui pretio Sanguinis redemptum, post Resurrectionem ad Pa„trem absque Pastore desereret; ipsius curam „B. Petro, ut SUÆ STABILITATE FIDEI „cæteros in Christiana Religione FIRMARET, „eorumque mentes ad salutis opera suæ accen„deret devotionis ardore, commisit.

Christus igitur mortuo Petro, ne Gregem suum absque Pastore desereret; ipsius curam Beati Petri successori Romano Pontifici, UT SUÆ STABILITATE FIDEI cæteros in Christiana Religione FIRMARET, commisit.

A Patribus Secundę Synodi Generalis Lugdunensis recepta fuit, plenoque ore comprobata professio Fidei Orthodoxæ, quam Græci ita prædicaverunt: „Ipsa quoque Sancta Romana Ec„clesia summum, & plenum Primatum, & Prin„cipatum super universam Ecclesiam Catholi„cam obtinet, quem se ab ipso Domino in

„B.Pe-

„B. Petro Apostolorum Principe, sive vertice, „cujus Romanus Pontifex est successor, cum „potestatis plenitudine recepisse veraciter, & „humiliter recognoscit, & sicut præ cæteris Fi„dei veritatem tenetur defendere; sic & si quæ „de Fide subortæ fuerint quæstiones, SUO DE„BENT JUDICIO DEFINIRI.

Clemens V., Clementina de summa Trinit. & Fide Cathol. inquit: „Nos igitur quod ad Apo„stolicam considerationem DUMTAXAT hæc, „quæ in Scripturis obscura sunt, declarare „pertinet; quod & si Concilio generali Viennensi dixerit præsidens; necessitatem tamen Concilii non induxit, sed exclusit particula illa DUMTAXAT: nemo tamen Gallicanorum Patrum, qui hæc audiverant, ausus est contradicere; ergo ad unum omnes consensere ad Apostolicam DUMTAXAT Sedem extra Synodum Generalem pertinere Fidei quæstiones dirimere; nam qui tacet, cum loqui oporteat, consentire censetur.

Juvat hic Oecumenicam Synodum Constantiensem in medium proferre, quippe quam Galli assidue in ore habeant, ut nonnihil voluptatis sim illis præbiturus. In illa enim celebrata fuit Sessio quadragesima quinta, in qua omnibus Patribus, præsertim vero Gallis, qui maximam ejus Concilii partem agebant, assentientibus, Constitutio Martini V. Pontificis nullo prorsus Patrum reclamante, ideoque nemine non consentiente, (cum pateat silentum pro consensu esse, quando loqui oporteat) publicis Concilii Actis inserta fuit in hanc sententiam:

„Nul-

„Nulli fas eſt a ſupremo Judice, videlicet
„Apoſtolica Sede, ſeu Romano Pontifice ap-
„pellare, aut illius judicium in cauſis Fidei,
„quæ tamquam majores ad ipſum, & Sedem
„Apoſtolicam referendæ ſunt, declinare.

CAPUT III.

Concilia particularia Gallicana aperte prædicant infallibilitatem Papæ in quæſtionibus Fidei definiendis extra Concilium Oecumenicum, & ante fidelium acceptationem.

Celebratum fuit Concilium Pariſienſe anno MDCXXVI., in quo Eccleſia Gallicana art. 137. „Monita conventus generalis „Cleri Gallicani ad Dominos „Archiepiſcopos, & Epiſcopos „hujus regni; magnificentiſſimum infallibilitati Romanæ Cathedræ teſtimonium ita dedit:

„Nullum majus argumentum veri erga Deum „amoris exhiberi a nobis poteſt, quàm ſi de„bita veneratione eos proſequamur, quos ip„ſe ad neceſſitates, animaſque noſtras curan„das, Vicarios, Legatoſque ſuos conſtituit. Id „vero cum præcipue, atque ante omnes Epi„ſcopos Romano Pontifici conveniat; Æquum

„om-

„omnino eſt, ut iidem Epiſcopi, & ſe ſe Pontifici ſubjectos agnoſcant, & aliis omnibus „eximiæ in illum venerationis, ac reverentiæ „exemplum præferant. Hortamur igitur Epiſcopos omnes, ut Sacram Apoſtolicam Sedem, „Romanamque Eccleſiam, utpote in Dei ſponſione infallibili, & Apoſtolorum, ac Martyrum ſanguine fundatam, omniumque Eccleſiarum Matrem omni honore, cultuque proſequantur. Ipſa enim (ut cum B. Athanaſio „loquamur) eſt ſacrum illud caput, a quo in „omnes Eccleſias, velut in totidem membra „omnis ſpiritus diffunditur, quo nutriuntur, „& conſervantur. Sanctiſſimum quoque Patrem, & Pontificem noſtrum, quippe Eccleſiæ univerſalis caput viſibile, Deique in terris Vicarium, Epiſcopum Epiſcoporum, & Patriarcham Patriarcharum honore afficient. Is „enim Succeſſor eſt Petri, a quo omnis Epiſcopus initium, atque originem duxit, & ſuper „quem Chriſtus Jeſus Eccleſiam ſuam fundavit, quando illi Claves Regni Cælorum, atque DONUM INFALLIBILITATIS IN „CAUSIS FIDEI RELIQUIT: Quam Fidem „non ſine ingenti miraculo durare in ejus Succeſſoribus immobilem, illibatamque videmus. „Unde ingens illa in Romanorum Pontificum „Decretis, mandatiſque amplectendis apud „omnes fideles, & orthodoxos obſervantia „profecta eſt. Hæc vero ut nihil detrimenti „capiat, Epiſcoporum munus erit; curabuntque eorum improbitatem coerceri, qui obſequii omnis, legumque impatientes, ſacram

„hanc

„hanc tot divinis, humanisque legibus sanci„tam auctoritatem revocare in dubium, cassamque reddere conantur: utque alios efficacius ad id permoveant, primi ipsi exemplo „præibunt.

Alterum quoque Concilium Parisiense octoginta quinque Episcoporum afferre libet in medium, ipsorumque literas ad Innocentium X. Papam datas recitare; quibus rogant eumdem Pontificem, ut de quinque Propositionibus excerptis ex Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi libro, qui *Augustinus inscribitur*, sententiam ferat.

Beatissime Pater.

„MAjores causas ad Sedem Apostolicam „referre solemnis Ecclesiæ mos est, „quem fides Petri nunquam deficiens perpe„tuò retineri pro jure suo postulat. Æquissime „huic legi obsequentes, de gravissimo circa „Religionem negotio Sanctitati Tuæ scriben„dum esse censuimus. Decennium est, ex quo „vehementissimis turbis Gallia magno nostro „mærore commovetur, ob Librum posthumum, „& doctrinam Reverendissimi Cornelii Jansenii „Iprensis Episcopi. Tales quidem motus seda„ri oportebat, tum Concilii Tridentini aucto„ritate, tum Bullæ illius, qua Urbanus VIII. „felicis memoriæ adversus Jansenii dogmata „pronunciavit, & decreta Pii V., ac Grego„rii XIII. in Bajum edita confirmavit. Atque

„hujus

„hujus Bullæ veritatem, ac robur novo Diplo-
„mate vindicasti: sed quia nulli sigillatim pro-
„positioni certa censuræ nota inusta fuit; locus
„etiamnum aliquis quorumdam cavillis, &
„effugio relictus est. Intercludendum autem
„penitus speramus, si ut precamur, Sanctitas
„Tua quid hac in re sentiendum sit, clarè, di-
„stinctèque definiat. Obtestamur ergo, ut has
„præsertim propositiones, de quibus discepta-
„tio periculosior, ac contentio ardentior est,
„Sanctitas Tua expendat, ac perspicuam, &
„certam de una quaque sententiam ferat &c.

„Experta est nuper Beatitudo Tua, quan-
„tum Apostolicæ Sedis in gemini Ecclesiæ ca-
„pitis errore profligando valuerit auctoritas:
„CONTINUO' SEDATA EST TEMPE-
„STAS, ATQUE AD CHRISTI VOCEM,
„ET IMPERIUM VENTI, ET MARE OBE-
„DIERUNT. Quamobrem flagitamus, Beatis-
„sime Pater, clara, firmaque de Propositio-
„num istarum sensu prolata sententia, cui Re-
„verendus ipse Jansenius morti proximus Opus
„suum subjecit; caliginem omnem discutias,
„animos fluctuantes componas, dissidia prohi-
„beas, Ecclesiæ tranquillitatem, splendorem-
„que restituas. Dum hæc spes mentibus nostris
„affulget, Sanctitati Tuæ multos, & prosperos
„annos, sæculoque beatissimam æternitatem,
„Rex sæculorum immortalis adiiciat, optamus,
„ac vovemus.

Ex istorum nobilissimorum Antistitum senten-
tia, testimonioque „fides Petri NUNQUAM
„de-

„deficiens PERPETUO pro jure suo postulat „retineri solemnem morem referendi fidei cau„sas ad Sedem Apostolicam.

Ergo fides Petri *nunquam* etiam extra Synodum Oecumenicam, & ante accedentem Ecclesiæ Consensum in Sede Apostolica Romana deficit; alioquin „si unquam in ipsa deficeret; „nequaquam profecto PERPETUO morem „hujusmodi solemnem pro jure suo retineri po„stularet. Altera hujusce Epistolæ particula perpendenda est, cujus hæc est sententia: „Ex„perta est nuper Beatitudo Tua quantum Apo„stolicæ Sedis in gemini Ecclesiæ Capitis erro„re profligando valuerit auctoritas: CONTIN„UO SEDATA EST tempestas, atque ad „CHRISTI VOCEM, & IMPERIUM venti, „& mare obedierunt.

Hæc Synodus Gallicana vocem Vicarii Christi in definiendis ex Cathedra Fidei quæstionibus extra Concilium Oecumenicum, vocem Christi agnoscit, ac veneratur; *& continuò* tempestatem sedari testatur. Ergo agnoscit definitiones Pontificias dogmaticas esse per se infallibiles, neque indigere Synodo Oecumenica, neque Ecclesiæ accedente consensu.

Aliud etiam Concilium triginta Gallicanorum Antistitum, quot quot Parisiis aderant, præeunte Julio Cardinali Mazarino, An. MDCLIII. celebratum literas dedit ad eumdem Innocentium X. Summum Pontificem: quarum hæc est sententia.

Bea-

Beatissime Pater.

„OPtata pervenit ad nos tandem Constitu-„tio illa, qua Vestræ Sanctitatis auctori-„tate quid sentiendum sit de Controversis quin-„que Propositionibus, quæ sunt excerptæ, e „Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi libris, per-„spicue decernitur. Excitatæ in Belgio conten-„tiones, flagrabant etiam in Galliis, & latissi-„mum incendium per universas Ecclesiæ par-„tes minabantur, ni pesti grassanti, & certissi-„mam perniciem allaturæ obstitisset Beatitudi-„nis Vestræ indefessum studium, & ex alto „petita potestas, quæ sola acerrimam illam ani-„morum collisionem compescere poterat. Age-„batur de re magni momenti: de aditu scili-„cet ad salutem per necessaria Christianæ Gra-„tiæ præsidia, & humanæ voluntatis adjumen-„tis illis excitatæ, ac fotæ conatus liberos, at-„que de Divina Christi pietate, ac beneficen-„tia in universum genus humanum. Hujus Do-„ctrinæ lucem recentioris illius Auctoris dis-„putationibus obscuratam pristino nitori resti-„tuit, juxta veterem Fidei regulam ex Scriptu-„ris, & antiqua Patrum traditione in Conci-„liis olim, & nuper auctoribus Summis Ponti-„ficibus constitutam, prolatum a Sanctitate „Vestra postulantibus compluribus Galliarum „Episcopis, Decretum. Quo in negotio illud „observatione dignum accidit, ut, quemadmo-„dum ad Episcoporum Africæ relationem In-

„nocentius I. Pelagianam hæresim damnavit „olim; sic ad Gallicanorum Episcoporum Con„sultationem, hæresim ex adverso Pelagianæ „oppositam Innocentius X. auctoritate sua „proscripserit. Enim vero VETUSTÆ ILLIUS „ÆTATIS ECCLESIA CATHOLICA, SO„LA CATHEDRÆ PETRI COMMUNIO„NE, ET AVCTORITATE FULTA, quæ „in decretali Epistola Innocentii ad Africanos „data elucebat, quamque dein Zosimi altera „ad universos Orbis Episcopos epistola subse„cuta est, Pelagianæ hæresis damnationi abs„que cunctatione subscripsit. Perspectum enim „habebat, NON SOLUM EX CHRISTI DO„MINI NOSTRI POLLICITATIONE PE„TRO FACTA, sed etiam ex Actis priorum „Pontificum, & ex anathematismis adversus „Appollinarium, & Macedonium, NONDUM „AB ULLA SYNODO OECUMENICA „DAMNATOS, a Damaso paulo antea ja„ctis, judicia pro sancienda regula Fidei a Sum„mis Pontificibus lata super Episcoporum con„sultatione (sive suam in actis relationis sen„tentiam ponant, sive omittant, prout illis „collibuerit) DIVINA ÆQUE, AC SUMMA „PER UNIVERSAM ECCLESIAM AU„CTORITATE NITI, CUI CHRISTIANI „OMNES EX OFFICIO, IPSIUS QUOQUE „MENTIS OBSEQUIUM PRÆSTARE TE„NEANTUR. Ea nos quoque sententia, ac „fide imbuti, Romanæ Ecclesiæ præsentem, „quæ in Summo Pontifice Innocentio X. vi„get, auctoritatem debita observantia colen-

„tes,

„tes, Constitutionem Divini Numinis instinctu
„a Beatitudine Vestra conditam, nobisque tra-
„ditam ab illustrissimo Athenarum Archiepi-
„scopo, Nuncio Apostolico, & promulgandam
„curabimus in Ecclesiis, ac Diœcesibus nostris,
„atque illius executionem apud fideles popu-
„los urgebimus. Neque vero pœnæ deerunt
„adversus temerarios illius violatores, quæ a
„jure hæreticis infliguntur, quibus juxta Con-
„stitutionis tenorem, & Breve Sanctitatis Ve-
„stræ nobis directum, contumaces omnes, nul-
„lo conditionum, vel statuum discrimine fa-
„cto, perstringemus: præsertim cum in Galliis
„ad Episcopos in solidum isthæc cura pertineat,
„ubi nullos hæreticæ pravitatis Inquisitores con-
„stitui patitur mos antiquus ex jure communi
„profectus. Sane spondere possumus Beatitu-
„dini Vestræ nihil fore, quod Decreto Apo-
„stolico, nostræque in eo exequendo solicitu-
„dini moram afferre possit, præcipuè cum Piis-
„simus, ac Christianissimus Rex noster, cui
„Breve Apostolicum una cum exemplo Con-
„stitutionis Illustrissimus Nuncius tradidit, in-
„terpellato quoque Regiæ Majestatis præsidio;
„nos ad illius Decreti executionem, edicto
„suo ad nos dato, pro ea, quam debet Eccle-
„siæ constitutis, tuitione, constanter hortetur.
„Et Magistratibus universis, atque cæteris sibi
„subditis, tum ad vim arcendam, tunc ad am-
„putandas quæ fortè possent ab hæreseos reis
„excitari de foro competenti cavillationes,
„præcipiat, quatenus illam omni studio, &
„opera juvent, atque tueantur. Quare cum Rex

„Cæleftis hac in Caufa fœderatum habet Re-
„gem terrarum (fi fas ita loqui cum Sixto III.)
„Sanctitas Veftra PER PETRÆ SOLIDITA-
„TEM, jam contufis Veritatis hoftium animis,
„fecuros ab omni externa perturbatione de
„nova hærefi triumphos aget. Porro nos Inno-
„centio X. CUJÚS ORE PETRUS LOCU-
„TUS EST, ut Leoni I. acclamabat quarta
„Synodus, hanc divinam Lauream gratulati,
„facros inter Ecclefiæ Faftos, quod olim de
„Synodis Oecumenicis fieri folitum, Conftitu-
„tionem iftam ab eo editam lubentes ex ani-
„mo reponemus: cui optatiffimam in longæ-
„va vita felicitatem adprecantur qui funt cum
„ea, qua par eft, veneratione.

Quoniam Sophifta quifpiam ad offundendas luci veritatis tenebras, abuti folet in hac Epiftola verbis illis: *ad Gallicanorum Epifcoporum confultationem*, Innocentium X. auctoritate fua hærefim ex adverfo Pelagianæ oppofitam profcripfiffe; Operæ pretium eft animadvertere *confultationem* Gallicanorum Antiftitum id fibi unicè voluiffe, ut cum illi quid tenendum effet, credendumque in caufa Janfeniana nefcirent; ea planè penitus ratione, qua ignari Magiftrum difcipuli, Sedem Apoftolicam confuluerunt, quo videlicet definiret quid effet tenendum, ut patet ex eorumdem Epiftola unica ad Innocentium X. Papam data, cujus hæc eft fententia: „Atque hujus Bullæ veritatem, „ac robur novo Diplomate vindicafti: Sed quia „nulli figillatim propofitioni certa cenfuræ no-

„ta

„ta inuſta fuit; locus etiamnum aliquis quo-
„rumdam cavillis, & effugio relictus eſt. Inter-
„cludendum autem penitus ſperamus, ſi, ut
„precamur, Sanctitas Tua QUID HAC IN
„RE SENTIENDUM SIT, CLARE', DI-
„STINCTE'QUE DEFINIAT.

En in quo conſiſtit Gallicanorum Præſulum *Conſultatio*: tanquam diſcipuli Magiſtrum conſulunt. Hujuſmodi Conſultationibus etiam Apoſtoli, antequam Spiritum Sanctum acciperent, Chriſtum Dominum interrogabant.

„Obteſtamur ergo (ſubdunt Gallicani Præ-
„ſules) ut has præſertim propoſitiones, de qui-
„bus diſceptatio periculoſior, ac contentio ar-
„dentior eſt, Sanctitas Tua expendat, ac per-
„ſpicuam, & certam de unaquaque ſenten-
„tiam ferat. Et paulo infra ſic: Quamobrem
„flagitamus, Beatiſſime Pater, clara, firmaque
„de propoſitionum iſtarum ſenſu prolata ſen-
„tentia, caliginem omnem diſcutias, animos
„fluctuantes componas, diſſidia prohibeas, Ec-
„cleſiæ tranquillitatem, ſplendoremque reſti-
„tuas.

En *Conſultatio* Gallicanorum Epiſcoporum quid ſibi velit: Romanam Sedem in dubiis fidei, & arduis quæſtionibus conſulunt, *quo illa quid ſentiendum ſit, definiat, & certam de una quaque propoſitione* ad fidem pertinente *ſententiam ferat; caliginem omnem diſcutiat, animos fluctuantes componat, diſſidia prohibeat, locum omnem penitus cavillis quorumdam, & effugio definitione ſua intercludat.*

Hinc liquet definitiones Papæ docentis ex

Cathedra esse infallibiles extra Synodum Oecumenicam, & ante consensum Ecclesiæ accedentem; alioquin non penitus locum cavillis quorumdam & effugio definitio Romani Pontificis intercluderet.

Quæ esset Ecclesiæ Parisiensis de judicio Summi Pontificis in dirimendis quæstionibus ad Fidem spectantibus sententia Anno MCCCXIV. declarat Stephanus Episcopus Parisiensis literis pro Beati Thomæ Aquinatis doctrina editis. „De Concilio (ut dicitur) Venerabilium Viro„rum Decani, & Capituli Parisiensis, & Ve„nerabilis P. D. Guillielmi Dei gratia Archiepi„scopi Viennensis Sacræ Theologiæ Professoris, & aliorum 23. Magistrorum in Theologia, „nec non 39. Baccalaureorum in Theologia. Hæc declaratio facta est obeam causam, quæ his verbis exprimitur:

„Nos igitur attendentes cum eis quod Sa„crosancta Romana Ecclesia Fidelium omnium „Mater, & MAGISTRA IN FIRMISSIMA „PETRI Christi Vicarii confessione fundata, „AD QUAM VELUT AD UNIVERSA„LEM REGULAM CATHOLICÆ VERI„TATIS PERTINET APPROBATIO, ET „REPROBATIO DOCTRINARUM, DE„CLARATIO DUBIORUM, DETERMINA„TIO TENENDORUM, ET CONFUTA„TIO ERRORUM; Præfatum Doctorem Ve„nerabilem, cujus Doctrina fulget Ecclesia, „ut Sole Luna, nuper Sanctorum Catalogo as„cribendum doctrinæ diligenti excussione, & „examinatione præhabita super vita ipsius, & „do-

„doctrina, ipsumque quoad Vitam puram, ac „doctrinam salutarem orbi terræ commenda„bilem prædicavit.

Quoquidem loco apertè Patres Concilii pro Ecclesia Romana, Romanum Pontificem describunt, atque intelligunt; dum ex eorumdem sententia verbisque ad eum utpote universalem „Regulam catholicæ Veritatis pertinet ap„probatio, & reprobatio doctrinarum, decla„ratio dubiorum, determinatio tenendorum, „& confutatio errorum, qui sanctimoniæ mira„culis fulgentes in Divorum album refert. Solus autem tum Romanus Pontifex D. Thomam sanctorum fastis ascripsit. Ergo illi soli antecedentia, & consequentia verba hujus Concilii patet congruere.

Concilium Melodunense titul. I. constitutionum, qui est „de fidei professione, sic decre„vit: Operam dabunt ij, quibus hæc cura de„mandata est, Episcopi scilicet, & eorum Vi„carii, ut in omnibus Synodis tam Diæcesa„nis, quàm Provincialibus omnes, & Singuli „tum Clerici, tum Laici amplectantur, & aper„ta professione eam fidem pronuncient, quam „SANCTA ROMANA ECCLESIA MAGI„STRA, COLUMNA, ET FIRMAMEN„TUM VERITATIS, profitetur, & colit. AD „HANC ENIM PROPTER SUAM PRINCI„PALITATEM NECESSE EST OMNES „CONVENIRE ECCLESIAS.

Cum autem Concilium Melodunense profiteatur *Romanam Ecclesiam* MAGISTRAM, COLUMNAM, AC FIRMAMENTUM VERI-

TATIS; addatque necesse esse ut ad HANC *omnes Ecclesiæ conveniant;* Comparat sanè HANC, cum omnibus cæteris Ecclesiis: atque adeo *pro Ecclesia Romana*, non *Universalem*, sed *Singularem* designat, quæ quidem est Romæ fixa, Ecclesiam. Ergo *hæc singularis* Ecclesia Romana est per se ipsam infallibilis, cum sit *Magistra, Columna, & Firmamentum veritatis;* quin dogmaticæ ipsius definitiones vel ab accedente consensu Ecclesiæ, vel a Concilio Oecumenico pendeant.

Nulla verò alia ratio afferri, vel excogitari unquam potest, Cur *hæc* Singularis Romana Ecclesia potius, quàm Gallicana, Hispana, vel alia, sit *Magistra, Columna, & firmamentum veritatis;* nisi hæc sola causa, quia scilicet eam gubernat, regitque ille, pro cujus fide, ne unquam deficeret, Christus in persona Beati Petri oravit. Ergo multo magis Papa ut Doctor publicus est infallibilis.

Synodus Turonensis anno 570. celebrata canone 21. ita sentit, atque declarat: „QUIS „SACERDOTUM contra decreta talia, quæ „a Sede Apostolica processerunt, agere præ„sumat? &c. & quorum auctorum valere pos„sit prædicatio, NISI quos Sedes Apostolica „semper aut intromisit, AUT APOCRYPHOS „FECIT? Et Patres nostri hoc semper custo„dierunt, quod eorum præcepit auctoritas. „Nos ergo hoc sequentes quod vel Apostolus Paulus, vel Papa Innocentius statuit &c.

Literæ Cardinalium, Archiepiscoporum, & Episcoporum Gallicanorom Concilii Parisiensis

ſis habiti anno 1714. ſcriptæ ad omnes Regni Epiſcopos ita habent:

Mais Dieu qui ne ceſſe de veiller ſur ſon Egliſe a ſes temps marquez, pour mettre a de convert le menſonge, & reveler l'iniquité apres avoir permis pour un temps par des raiſon's, que luy ſeul connoiſt qu'elle demeuraſt cachée, & IL A ESTE' DONNE' A PIERRE, ET A SES SUCCESSEURS DE FORTIFIER SES (a) FRERES DANS CES OCCASIONS IMPORTANTES &c.

DEMONSTRATIONES.

I.

SI Romani Pontificis definitiones extra Concilium generale pronunciatæ in fidei quæſtionibus dirimendis non ſunt firmæ, & infallibiles antequam Univerſalis Eccleſiæ conſenſus accedat; ſequitur ut non ille fratres, ſed illum fratres confirment, quod tum allatis Patribus Gallicanis, tum vero etiam Chriſti Domini ſententiæ, mentique apertè repugnat.

I I.

SI accedenti conſenſui Eccleſiæ definitiones Pontificiæ firmitatem ſuam acceptam referrent; ſequeretur Papam cum toto iſto privilegio CONFIRMANDI FRATRES in declarandis ſcilicet ex Cathedra, Eccleſiæque Univerſæ proponendis fidei dogmatis, nihil differre a quolibet vulgari, abjectoque homunculo, aut Ve-

(a) Tom. XI. Concil. Harduini.

Vetula, cujus si quam sententiam ad dogma pertinentem Universalis Ecclesia recipiat, evadet illa utique certa. Sed hæc certitudo non ad ipsius homuncionis, aut Vetulæ, sed ad Ecclesiæ Universalis, quæ juxta B. Paulum *est columna, & firmamentum veritatis*, privilegium spectat. Ergo, ne id sequatur absurdi; firmiter sentiendum est decreta dogmatica Sedis Apostolicæ extra Synodum Oecumenicam lata, esse omnino certa, atque infallibilia ante Universalis Ecclesiæ acceptationem.

III.

SUpremæ Veritati Christo maximè injuriosum est dicere DONUM CONFIRMANDI FRATRES, quod ipse Romano Pontifici elargitus est (ut allati Præsules Galliæ prædicant) falsitati succumbere, antequam Ecclesiæ consensus accedat.

IV.

UT a Christo Domino jubetur suus Vicarius Romanus Pontifex *confirmare fratres*; ita fratres ab eodem Christo jubentur velle a Romano Pontifice confirmari in fide, cum opus fuerit. Non possunt igitur illi unquam dicere se nolle a Papa confirmari in fide, quia putant eum fallibilem etiam cum ex Cathedra Universam docet Ecclesiam, quin eodem tempore ipsi Christo faciant injuriam; quasi Christus jubeat, velitque eos a Vicario suo Romano Præsule in fide decipi.

CA-

CAPUT IV.

Clara ſententia Univerſitatum Gallicanarum de irreformabili Papæ judicio in definiendis ex Cathedra Fidei quæſtionibus citra Concilium Oecumenicum, & ante Univerſalis Ecleſiæ accedentem conſenſum.

LUculentum planè teſtimonium Scholæ Pariſienſis profero editum ab ipſa in Comitiis generalibus adverſus errorem Joannis de Monteſono, teſte Duvallio Doctore Pariſienſi, ac Regio Profeſſore tract. de Rom. Pont. p. 2. de Infallibil. Papæ. Hunc enim articulum eadem Schola Pariſienſis edidit:

„Ad Sanctam Apoſtolicam Sedem pertinet „auctoritate Judiciali ſuprema circa ea, quæ „ſunt Fidei, judicialiter definire.

Tota Pariſienſis Univerſitas per Petrum Alliacenſem ejuſdem Cancellarium, ita Papam alloquitur.

„Igitur pro veſtris humilibus filiis Univerſi„tatis prædictæ, & pro nobis eorum Nunciis, „qui ſuis in hac parte obſequimur mandatis, „& documentis innitimur, corde, & ore una„nimiter proteſtamur, quod quidquid hacte-

nus

„nus in hac causa per eos actum est, & quid-
„quid in ea nunc vel alias pro eis acturi, aut
„dicturi sumus, totum correctioni, & judicio
„Sedis Apostolicæ, & sedentis in ea Summi Pon-
„tificis humiliter submittimus: dicentes cum
„B. Hieronymo 24. quæst. 1. Hæc est Fides, Pa-
„ter Beatissime, quam in Catholica Ecclesia
„didicimus, in qua si minus peritè, aut minus
„cautè fortè aliquid positum est, EMENDA-
„RI petimus a te, qui Petri fidem, & sedem
„tenes. Non ignoramus enim, sed firmissime
„tenemus, & nullatenus dubitamus, quod San-
„cta Sedes Appostolica est illa Cathedra Petri,
„supra quam eodem Hieronymo teste, fun-
„data est Ecclesia, ut habetur ead. quæst. in
„cap. quoniam vetus. Et sicut dicit Cypria-
„nus 93. dist. Qui Cathedram. De qua Sede
„in persona Petri Apostoli in ea sedentis di-
„ctum est; Petre, rogavi pro te, ut non defi-
„ciat fidès tua, Luc. 22. Hæc est igitur, ad
„quam determinatio Fidei, & approbatio Ve-
„ritatis Catholicæ, ac Hæreticæ impietatis de-
„testatio maxime pertinet.

CA-

CAPUT V.

Sententia Academiæ Lovaniensis.

INter articulos editos ad occurrendum hæreticæ pestis contagio, hunc num. 25. eadem Academia promulgavit:

„Certa fide tenenda sunt, „quæ definita sunt super fidei, „& (a) morum negotiis per Cathedram Petri.

Inter Theses Lovanii propositas die 9. Octob. 1638. Præside Doctore Rampea, hæc edita fuit:

„Tanta vero Pontificis hujus ex divina di-„gnatione est auctoritas, ut in Controversiis „Fidei, & morum determinatis ex Cathedra, „Judex sit numeris omnibus ABSOLUTUS, „LICET OECUMENICUM CONCILIUM „NON ACCEDAT, QUOD INFRA PON-„TIFICEM ESSE, NON E CONVERSO, „FIDEI PROXIMUM CENSEMUS.

Doctor ab Angelis, qui postea Episcopus Ruremundensis fuit, Præses erat, anno 1640. dum hæc Thesis in Lovaniensi Academia de Romano Pontifice asserebatur:

„Jure merito in Controversiis Fidei, & quæ-„stionibus morum supremus existit Judex, in „quibus judicium ejus cum Concilio quidem „est prorsus infallibile: quinimmo ipsius solius „illibata est auctoritas, quoties ex Cathedra „quid-

(a) *Vide Patricium Duffium in Thelogia Bajojansenian. num. 22.*

„quidquam definit, totamque Ecclesiam cum „obligatione ad credendum docet.

Eodem quoque anno, ipso Præside uberius adhuc hæc proposita fuerunt:

„Romanus Pontifex est supremus Judex in „Controversiis Fidei, & questionibus morum, „nunquam cum aliquo errore deprehenditur „cum Concilio generali; immo definitiones „ipsius ex Cathedra loquentis SINE CONCI-„LIO GENERALI editæ, sunt INFALLIBI-„LIS VERITATIS. CONCILIA QUAN-„TUMVIS GENERALIA ABSQUE CON-„FIRMATIONE, ET APPROBATIONE „PONTIFICIS ERRARE POSSUNT, cum „approbatione ipsius non possunt etiam parti-„cularia.

Inter theses propositas Lovanii 17. Julii 1638. Præside Doctore Rampea hæc edita fuit de Romano Pontifice.

„Propter infallibilem Spiritus Sancti assisten-„tiam est Supremus, & ordinarius Judex in „Controversiis fidei, & morum judicandis: „cujus judicium una cum Concilio generali in „definiendis Fidei Controversiis certissimum, „ac omnino infallibile est; idque non tantum „cum Concilio generali, sed etiam quando-„cumque aliquid ex Cathedra sub obligatio-„ne servandum definit: Judicium quoque in „Decretis morum, quæ toti Ecclesiæ sub præ-„cepto præscribit, plane infallibile est.

Guillelmus Tasselon in Thesibus editis ad Doctoratum in eadem Academia obtinendum, hanc præmisit:

Ejus

„Ejus tamen (Papæ) judicium certum omnino, & infallibile eſt in Controverſiis fidei „definiendis non ſolum cum Concilio, ſed „etiam quandocumque ex Cathedra loquitur, „& univerſam Eccleſiam docet.

Eodem Anno 1638. Præſide Doctore Schenkelio inter alia id aſſertum habetur:

„Judicium Romani Pontificis cum Concilio „generali in definiendis Fidei Controverſiis, „aut quæſtionibus morum omnino infallibile „eſt, & certum: idemque dicendum in quæ„ſtionibus Fidei determinandis, non tantum „cum Concilio generali; ſed etiam quando„cumque ex Cathedra loquitur, & Eccleſiam „totam docet cum obligatione ad ita creden„dum, & docendum. Judicium quoque in „Decretis morum, quæ toti Eccleſiæ præſcri„bit, omnino eſt infallibile; ſicuti fieri non „poteſt, quod lege univerſali, quæ totam Ec„cleſiam concernat, mandet quippiam per ſe „malum, aut ſaluti contrarium: vel prohibeat „aliquid, quod eſt neceſſarium ad ſalutem; „firmiter tenendum eſt eum numquam errare „in Sanctorum Canonizatione.

Anno 1561. inter articulos Regi Carolo IX. oblatos, hunc Academia Lovanienſis protulit: „ECCLESIA VISIBILIS Univerſalis, quæ „errare non poteſt, habet in Chriſto Jeſu unum „caput viſibile, quod eſt Sanctiſſimus noſter „Pater Romanus Pontifex, CUI OMNES „CHRISTIANI, SI SALVI ESSE VELINT, „OBEDIRE TENENTUR.

CA-

CAPUT VI.

Sorbonæ Sententia.

PEtrus de Marca Archiepiſcopus Pariſienſis in obſervationibus ſupra Theſes claremontanas (quas ultimum ejus opus fuiſſe doctiſſimus Paluzius teſtatur) num. 33. 31., & 34. ita ſcribit: „Hæc opinio (de infallibilitate Papæ) eſt illa, „quam unicè Hiſpania, Italia, aliæque omnes „Chriſtianitatis Provinciæ docent; ita ut illa, „quam ſententiam Pariſienſium Doctorum „(pauciſſimorum) vocant, ad claſſem earum „opinionum revocanda ſit, QUÆ SOLUM „TOLERANTUR &c. Auctoritas infallibilem „ſententiam in cauſis fidei pronunciandi eſt Ro„manis Pontificibus OMNIUM UNIVERSI„TATUM CONSENSU ACQUISITA; ex„cepta tamen antiqua Sorbona; immo hoc quo„que tempore hanc de infallibilitate Pontificis „ſententiam in ipſa Sorbona doceri videmus. „Nam 12. Menſis Decembris anno 1660 in „Sorbona publicè hæc Theſis defenſa eſt; vide„licet, Romanus Pontifex controverſiarum „Eccleſiaſticarum eſt conſtitutus Judex a Chri„ſto, qui ejus definitionibus indeficientem fi„dem promiſit. Eandem Theſim in Univerſita„te Navarica ſeptima Decembris propugnatam „ſcimus.

Et

Et infra, num. 34. de Doctoribus Galliæ idem Antistes hæc tradit: „Pars major non solum „Theologiæ, sed etiam juris Doctorum com„muni opinioni adhæret, utpote fundamentis „nixæ solutu difficillimis, RIDETQUE AN„TIQUÆ SORBONÆ OPINIONES. Anno „MDCLX. Patres Societatis Collegii Claremontani publicè Theses proposuere, quibus infallibilitatem Papæ defendunt: Thesis autem hæc est sententia:

„Christum ita caput Ecclesiæ agnoscimus, „ut illius regimen, dum in Cælos abiit, pri„mum Petro, tum deinde Successoribus com„misserit, & eamdem, quam habeat ipse infalli„bilitatem, concesserit, quoties ex Cathedra „loquerentur. Datur ergo in Ecclesia Roma„na controversiarum Fidei Judex infallibilis „etiam extra Concilium Generale tum in quæ„stionibus juris, tum facti.

CAPUT VII.

Sententia Sacræ Facultatis Duacensis.

OPeræ pretium est recitare particulam quamdam Decreti, quod ætate nostra Sacra Facultas Theologica Duacensis anno 1714. in recolenda, venerandaque Summi Pontificis Clementis XI. Apostolica constitutione *Unigenitus*, promulgavit:

C Pla-

„Placuit (inquit illa) Sacræ Facultati, ut ex „Scripturis, Summis Pontificibus, Conciliis, „Patribus, aliisque Auctoribus Ecclesiasticis „sequentia testimonia proferantur; illaque in „quatuor classes distributa præcedentibus actis „adjungantur: quibus demonstretur NECES„SE ESSE, ut fideles cum Petro, ejusque Suc„cessoribus Ecclesiam pascentibus, seu ex Ca„thedra docentibus, PERPETUO' consentiant, „nisi ab Ovili Christi, ut oves putridæ sejun„gi (a) velint.

DEMONSTRATIO.

EX sententia Sacræ Facultatis Duacensis „NECESSE est ut fideles cum Romano „Pontifice ex Cathedra docente, PERPETUO' „consentiant; NISI AB OVILI CHRISTI UT „OVES PUTRIDÆ SEJUNGI VELINT.

Ergo non est in potestate Ecclesiæ definitiones Papæ dogmaticas respuere, vel emendare: sed necesse est ut illis perpetuo debitum mentis præstet obsequium. Decreta igitur Sedis Apostolicæ in definiendis fidei quæstionibus sunt per se ipsa ante Ecclesiæ acceptationem omnino certa, atque infallibilia; alioquin non *necesse foret fideles cum Successoribus Petri ex Cathedra docentibus, PERPETUO consentire.*

CA-

(a) *Tom. XI.. Harduin.*

CAPUT VIII.

Gallicanorum Epiſcoporum Sententia.

COrnelius Janſenius Iprenſis Epiſcopus explicans illa Chriſti Domini verba ad Beatum Petrum dicta: *Ego rogavi pro Te ut non deficiat fides tua;* ſic ſentit, ut ſcribit: „Ego autem rogavi pro te; peculiariter tanquam pro Capite cæterorum, per quem reliquos ad ſalutem adducere decrevi &c. paulo infra non abs re ita idem Janſenius pronunciat: „ſed quia confirmare fratres, quod ſequitur, ad officium Paſtoris pertinet, & proinde perpetuum eſſe debet; (*a*) Hinc juxta ſenſum antiquorum impetravit ei & aliud privilegium ad Succeſſores propagandum, ut videlicet tanquam caput Eccleſiæ nunquam nec ipſe, nec Succeſſores ejus in docenda vera fide deficerent, juxta illud Leonis Sermon. 3. de aſſumptione ſua ad Pontificatum: in Petro omnium fortitudo munitur: & illud Bernardi epiſt. 190. ad Innocentium: „Dignum arbitror ibi potiſſimum reſarciri damna fidei, ubi non poſſit fides ſentire defectum. CUI ENIM ALTERI SEDI dictum eſt aliquando? EGO rogavi pro Te ut non deficiat fides tua. Rurſus idem magnificentiſſimum teſtimonium infallibilitati Papæ dedit in eam ſententiam:

(*a*) *Commentar. in Evang. ſecundum Luc. cap. 22.*

„Mihi constitutum est, (a) quam ab infan-„tia secutus sum sensuum meorum ad extre-„mum usque spiritum, ducem sequi Roma-„nam Ecclesiam, & Beatissimi Petri in Roma-„na Sede Successorem: SUPER ILLAM PE-„TRAM, ÆDIFICATAM ECCLESIAM „SCIO. QUICUMQUE CUM ILLO NON „COLLIGIT, SPARGIT: APUD EUM SO-„LUM INCORRUPTA PATRUM SERVA-„TUR HÆREDITAS. Quodcumque ab ista „Petri Cathedra, in cujus communione a te-„neris vixi, & porro vivere, ac mori fixum „est, ab isto Christi Domini nostri Vicario, „ab isto Ecclesiæ Christianæ Universæ Capite, „Moderatore, Pontifice præscriptum fuerit, te-„neo: quidquid improbatum, improbo, damna-„tum, damno: anathematizatum, anathematizo.

Petrus Aurelius Doctor Parisiensis, cujus eloquentia, & doctrina elogium ei Doctoris facundi, & insignis comparavit, fuitque Archiepiscopus Aquensis, libro pro Sacra Facultate Parisiensi hæc habet:

„Hæ sunt (inquit) ambiguæ illæ Quæstiones, „atque difficiles, quas Summi Pontifices ad se „referendas toties edicunt, quarum judicia adi-„munt Episcopis, qui sine omni etiam externa „lege EAS AD PRIMAM SEDEM REFER-„RE DEBUISSENT, UT AB EA VELUT „A SUPREMO DEI IN ECCLESIA DO-„CENTIS ORGANO EDOCERENTUR. „Porro Episcopis, qui Patres sunt, Doctoresque „Chri-

(a) *Tom. 2. de Grat. Christi lib. 1. cap. 29.*

„Christianorum, Is Superior Doctor est; qui „Pater Patrum, Doctor Doctorum, Episcopus „Episcoporum est constitutus, ut quemadmo-„dum ipsos alii audire debent; ita ipsi ILLUM „SOLUM ORDINARIUM MAGISTRUM „A DEO SIBI PRÆPOSITUM &c. Quæstio-„nes quippe has ambiguas, perplexasque, de „quibus inter Episcopos nihil constet, & qua-„rum apud omnes judicium vacillet, SOLIUS „SUMMI PONTIFICIS AUCTORITATE „CONSTITUI OPORTERE docet Gerson; „NEC INFERIORUM DECRETIS PRÆFI-„NIRI POSSE.

Celeberrimus Ægidius Archiepiscopus Bituricensis expositione Capitis *Cum Marthæ*, de celebratione Missæ, ait: „Archiepiscopus igi-„tur Lugdunensis de omnibus his dubitans „Sedem Petri, ad quam pertinet majores cau-„sas, & præsertim articulos fidei, & ea, quæ ad „articulos ordinantur, decidere, consuluit, „ne in ipsis ulterius vacillaret.

Nicolaus Coeffeteau Theologus Parisiensis, deinde verò Massiliensis Episcopus in Tractatu pro Sacra Monarchia Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ adversus Rempublicam Marci Antonii de Dominis Archiepiscopi Spalatensis part. 5. Discussion. num. 5. cap. 12. lib. 1 indefectibile lumen fidei in Summo Pontifice his verbis declarat: „Dico igitur non esse par „lumen in reliquis cum Summo Pontifice. „NAMQUE UNI EI IN PERSONA PETRI „DICTUM EST: EGO ROGAVI PRO TE, „UT NON DEFICIAT FIDES TUA.

Gabriel Albaſpineus Aurelianenſis Epiſcopus, in hæc verba Tertulliani, *Epiſcopus Epiſcoporum* lib. de pudicitia: „Quacumque igitur „(inquit) ratione, aut mente de Romano Pontifice hæc dixerit Tertullianus, ſeriò, vel per „ludibrium; illis tamen temporibus PENES „EUM POTESTATEM FUISSE DE REBUS „FIDEI JUDICIA PEREMPTORIA FER„RE, TOTIUS ORBIS EPISCOPOS MO„NERE, ATQUE DOCERE, QUIS NON „AGNOSCIT? EOQUE MAGIS QUOD „UNUS Tertullianus jam hæreſi implicitus, „de hac re cæteris Eccleſiæ Epiſcopis non re„luctantibus, conqueratur.

Anno MDCCXVIII. 28. Aug. Ludovicus Tour Du Pin De Montauban, Epiſcopus Telonenſis, & Chriſtianiſſimi Regis Conſiliarius Edictum ad omnes fideles ſuæ Diœceſeos pro Conſtitutione *Unigenitus*, promulgavit; in quo ſatis abundè infallibilitatem Papæ prædicat, multiſque, & claris Sanctorum Patrum teſtimoniis confirmat in hanc ſententiam:

„Nos (inquit) inviolabiliter adhærebimus „Sedi Sancti Petri. In Romana Eccleſia ſunt „principalia Orthodoxorum dogmatum funda„menta: illic eſt domicilium Veritatis, cen„trum Unitatis: ad hoc centrum omnes ten„dere debent. Nonne qui ab hac ſejungi au„det, ad ſuum ruit interitum? Nos quidem „hoc loco non ex nobis ipſis loquimur, fra„tres chariſſimi; ſed verbis, ac ſenſibus Pa„trum Eccleſiæ, Conciliorum, & Epiſcopo„rum Galliæ utimur.

Dein-

Deinde affert teſtimonium Hincmari Remenſis Epiſcopi: „Prima Sedes, & omnium Ec„cleſiarum in toto Orbe terrarum Mater, (a) „atque Magiſtra.

Affert etiam verba Sancti Petri Chryſologi: „Beatus Petrus, qui in propria Sede vivit, „& præſidet, præſtat quærentibus (b) fidei ve„ritatem.

Profert demum, ut alios omittam, Sanctum Hieronymum Doctorem Eccleſiæ maximum ita ſcribentem ad Damaſum Papam: „Ego „nullum primum, niſi Chriſtum ſequens, Bea„titudini Tuæ, ideſt, Cathedræ Petri commu„nione conſocior; ſupra illam Petram, ædifica„tam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc „domum agnum comederit, profanus eſt, qui„cumque tecum non colligit, ſpargit; hoc eſt, „qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt.

Quo teſtimonio quid præſtantius ad hanc veritatem illuſtrandam, confirmandamque excogitari poteſt?

Franciſcus Archiepiſcopus Rotomagenſis in Apologia Evangelii pro Catholicis ad Jacobum Majoris Britanniæ Regem, edita, lib. 2. cap. 1. multa ſcribit, quibus infallibile Summi Pontificis judicium in quæſtionibus Fidei dirimendis oſtendit:

„Grandi (inquit) quodam privilegio Roma„nus Pontifex Cuſtos Fidei a Patribus habitus, „ut Epheſina Acta Cæleſtino Papæ Cuſtodi „Fidei acclamatum teſtantur, necnon & poſtea

(a) *Opuſc. Lib. 5. cap. 45.* (b) *ep. ad Eutych.*

„insertum Chalcedonensibus Actis insigne „Monumentum illud est Petri Episcopi Ravennatis ep. ad Eutych. „In omnibus autem hortamur te, Frater honorabilis, ut his, quæ a „Beatissimo Papa Romanæ Civitatis scripta „sunt, obedienter attendas; quoniam Beatus „Petrus, qui in propria Sede, & vivit, & præsidet, præstat quærentibus Fidei veritatem.

Et capite 12. inquit: „Cui non patet Fidei „ostium Romanis Clavibus aperiendum, a Romanoque Pontifice patefaciendum esse?

Hincmarus Remensis Episcopus celeberrimus eruditione, sæpius de Romano Pontifice egit; seligo autem hæc pauca ex Opusculo adversus Nepotem suum Hincmarum Laudunensem cap. 5. Ibi enim agit de duobus suis, & Synodi judiciis a Sede Apostolica rescissis: neque queritur eam sibi potestatem Sedem Apostolicam arrogare, sed eam veneratur, additque ita:

„Quia, sicut & de Redemptore nostro (a) in „Ezechiele Propheta legimus, Apostolica Se- „des funiculum in manu tenens, divinæ dispo- „sitionis intuitu, alterum intra mensuram ele- „ctorum misericordia ascilcit, & alterum ju- „dicio foras relinquit, ut & Redemptor noster; „dum alios a suis iniquitatibus abstrahens, „alios in sua iniquitate derelinquens, alibi funi- „culum trahit, & aliunde retrahit, & huc du- „cit, quem aliunde subducit; QUONIAM IN „EADEM SEDE DOMINUS VELUT IN „THRO-

(a) cap. 47.

„THRONO SUO PRÆSIDENS ALIORUM „FACTA EXAMINAT, ET CUNCTA MI„RABILITER, UT VIDELICET DE SUA „SEDE DISPENSAT; verum ſicut nos Apo„ſtolicæ Sedis præſtantiam fuimus amplexi; & „ipſa Sedes Apoſtolica Scriptorum Sacrorum „auctoritatem nobis rependit, & benignitatem „Paternitatis exhibuit.

Carolus Mauritius le Telier Archiepiſcopus, Dux Remenſis, Ludovicus Antonius de Noailles Archiepiſcopus Pariſienſis, Jacobus Benignus Boſſuet Epiſcopus Meldenſis, Guido de Seve Epiſcopus Attrebatenſis, & Henricus Feydeau de Brou Epiſcopus Ambianenſis dedere literas ad Summum Pontificem Innocentium XII. Anno 1697. contra Librum, cui titulus: *Nodus Prædeſtinationis diſſolutus Auctore Cæleſtino S. R. E. Presbytero Cardinali Sfondrato*.

Scribunt itaque in hanc ſententiam: „Epiſco„porum eſt ſine perſonarum acceptione de„tegere errores, qui quo altiore loco ſe attol„lunt, eo graviore ictu conterendi. Itaque „ad Apoſtolatum Veſtrum deferre cogimur „propoſitiones iſtas &c.

Et paulo infra ſic: „Nunc ad alterum caput „pergimus, nec veremur, ne Parenti optimo, „atque Sanctiſſimo tædio ſimus, cui res maxi„mas ejus Apoſtolico Judicio decidendas ſum„ma cum animi demiſſione ſubiicimus.

Et inferius ita: „Quæ niſi claro, certoque „judicio ab Eccleſia Dei propulſetis, omnia „collabaſcant.

Vi-

Videntur dicti Episcopi in Cardinalem Sfondratum detonare in hanc sententiam: „Ne, si „tu Theologe, quisquis es, aliquid Evangelicæ „prædicationi addideris, quacumque digni„tate fulgeas, quocumque hominum præsidio „fretus, SIS LICET APOSTOLUS, SIS LI„CET ANGELUS, AB ALTA PETRI-SE„DE, TAMQUAM E CAELO FERIARIS, „AC SERMONES TUI (a) ANATHEMA „FIANT.

Isti quidem Antistites Infallibilitatem Papæ, quod ad primum spectat judicium, agnoverunt, & implorarunt; licet Sfondrati liber Romæ examinatus, nec damnatus, nec damnandus fuerit.

Petrus de Marca Archiepiscopus Parisiensis admonitione ad Lectorem edita Anno MDCXLI. de Concordia Sacerdotii, & Imperii suam ita sententiam aperit:

„Auctoritas Romanæ Sedis per Occidentem, ipsasque Gallias expenditur; quæ illi in„tegra vindicatur, tum in legibus ferendis ad „repellendas novitates, sanciendamque disci„plinam, TUM IN JUDICIIS SINE PRO„VOCATIONE REDDENDIS: ad cujus au„ctoritatis illustrationem nova per relationes, „& consultationes Ratio aperitur. Deinde do„cetur IMMUNEM esse Romanum Pontificem „AB INFERIORUM JUDICIO. Eam Sedis „Apostolicæ dignitatem Gallos suis officiis sem„per excoluisse, adeout tuitio Romanæ Eccle„siæ

(a) *lib. cui titulus Augustiniana Ecclesia Romana Doctrina a Cardinalis Sfondrati nodo extricata.*

„ſiæ hæreditario jure in Reges Francorum „tranſmiſſa ſit.

Rurſus idem lib. 1. cap. 2. de Concordia Sacerdotii, & Imperii inter cætera ſic loquitur:

„Itaque ut omnibus fiat ſatis, liquidò, & ſe„cundum ſententiam meam, omniumque Gal„lorum aſſero præcipuum, primumque liberta„tis Eccleſiaſticæ fundamentum apud nos hoc „eſſe, ut Principatus Apoſtolicæ Sedis ſuum „locum ſemper obtineat. Etenim cum Eccle„ſia Gallicana inter præcipua, & illuſtriora Ec„cleſię Univerſalis membra cenſeatur, TOTIUS „verò corporis CAPUT in Eccleſia Romana „ſit conſtitutum; fieri non poteſt, ut veræ Eccle„ſiæ libertatibus fruatur, niſi capitis hujus com„munioni inſerta ſit. Retineri autem commu„nio illa non poteſt, niſi officiis illis caput ex„colatur, quæ Principatui Apoſtolicæ Sedis ne„mo ſanus unquam negaverit. Docendum „itaque eſt Gallos ab ipſis Eccleſiæ primordiis „uſque ad noſtram ætatem, & communionis „Eccleſiaſticæ originem in Cathedra Petri con„ſtituiſſe, & ſupremam Eccleſiæ auctoritatem „huic ſedi collatam ſemper coluiſſe juxta varios „illos gradus, quibus eam pro bono publicæ „diſciplinæ, temporis ratione habita Pontifices „Romani explicare conſueverunt.

Et paulo inferius ita: „Sanè communi om„nium Eccleſiarum conſenſu fuiſſe receptum, „ut ad Cathedram Petri, tamquam in deſcri„ptione circulari, lineæ ad centrum reſpicerent; „non ſolum nos docuit Leo Primus, ſed etiam „omnes Africani Patres: quorum teſtimonio

„hac

„hac quidem in causa satius est uti, quam cæ-
„terorum, quippe qui nullius gratiæ, aut adu-
„lationis apud ipsos hæreticos hac in re suspe-
„cti sunt, cum libertatis Ecclesiæ Africanæ
„semper acerrimos vindices se præstiterint. Cy-
„prianus itaque docet Ecclesiam Romanam
„esse (a) Petri Cathedram, & Ecclesiam prin-
„cipalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est.
„Optatus vero Milevitanus Episcopus, Sacrile-
„gi Schismatis a Donatistis in Africa conflati
„scelestam divisionem inde damnare, & ever-
„tere conatur, quod ab Ecclesia Romana discef-
„sissent, ubi est origo, & radix unitatis. IGI-
„TUR NEGARE NON POTES (b) scire te in
„Urbe Roma Petro primo Episcopalem Ca-
„thedram esse collatam, in qua sederit om-
„nium APOSTOLORUM CAPUT Petrus,
„unde & Cephas appellatus est: IN QUA
„UNA CATHEDRA UNITAS ab omnibus
„servaretur, NE CÆTERI APOSTOLI SIN-
„GULAS SIBI QUISQUE DEFENDE-
„RENT; ut jam SCHISMATICUS, & pec-
„cator esset, QUI CONTRA SINGULAREM
„CATHEDRAM, ALTERAM COLLOCA-
„RET.

Rursus idem inferius asserit „nulli licere, ne-
„que ipsis etiam Apostolis Episcopatum tene-
„re alienum a communione, & consortio uni-
„tatis, quæ viget in Cathedra Petri.

Deinde idem hæc subdit: „Quapropter ele-
„ganter Veritatis ille assertor Hieronymus (c)
„ita

(a) *Ep. 55.* (b) *lib. 2. contr. Parmenian.*
(c) *lib. 1. contr. Jovin.*

„ita efformatum fuiſſe corpus Eccleſiæ docuit, „UT CAPITE CONSTITUTO, SCHISMA-„TIS TOLLERETUR OCCASIO, ejuſque „capitis rationem in Cathedra Petri colloca-„tam, ex quo proinde ſequatur eum, qui alie-„nus ſit ab Eccleſiæ Romanæ communione; a „compage totius corporis avulſum, in peregri-„nitatem quamdam redigi. Quam ſententiam exemplo ſuo teſtatus eſt, cum per varias factiones Oriente diſcerpto, Antiochena Eccleſia trium Patriarcharum Schiſmate vexaretur. „EGO (inquit ille) (a) NULLUM PRI-„MUM, niſi Chriſtum ſequens, BEATITU-„DINI TUÆ, IDEST CATHEDRÆ PETRI „COMMUNIONE CONSOCIOR. SUPER „ILLAM PETRAM, ECCLESIAM ÆDIFI-„CATAM SCIO. Quicumque extra hanc Do-„mum agnum comederit, profanus eſt: Si quis „in Arca Noe non fuerit, peribit regnante di-„luvio.

„Juxta Cypriani, Optati, & Hieronymi ſen-„ſum Gelaſius Eccleſiæ Romanæ principatum „acceſſit ab unitate Eccleſiæ, quam Chriſtus „ſermone ad Petrum directo inſt tuit. Etenim „in tractatu adverſus Græcos (b) ait invicto Pa-„trum Nicænæ Synodi judicio vetuſtiſſimum „Romanæ Sedis honorem fuiſſe judicatum; ut-„pote qui Domini recordabantur ſententiam: „TU ES PETRUS &c. & Rurſus: ECCE „EGO ROGAVI &c. & illud: PASCE OVES „MEAS. Quare igitur ad Petrum tam frequens „Do-

(a) *Ep. ad Damaſ.* (b) *edit. a R. P. Sirmond.*

„Domini sermo dirigitur? Numquidnam reli„qui Sancti, & Beati Apostoli non erant simi„li virtute succincti? Quis hoc audeat affirma„re? SED, UT CAPITE CONSTITUTO, „SCHISMATIS TOLLERETUR OCCASIO, „ET UNA MONSTRARETUR COMPAGO „CORPORIS CHRISTI, quæ AD UNUM „CAPUT gloriosissima dilectionis societate „concurreret, & UNA esse Ecclesia, cui fideli„ter crederetur, UNAQUE Domus unius Do„mini, & unius Redemptoris, in qua de uno „pane, & de uno calice nutriremur.

Rursus idem Petrus de Marca ita: „Com„mune hoc officium Communionis cum Eccle„sia Romana, cui impendendo cum cæteris Pro„vinciis Gallia astringitur; cognoverat ante „omnes vetustissimus ille Lugdunensium Anti„stes Irenæus, qui unus scripsit quod omnes „sentiebant. AD ROMANAM, (inquit) EC„CLESIAM PROPTER POTENTIOREM „PRINCIPALITATEM (a) NECESSE EST „OMNEM CONVENIRE ECCLESIAM; „quasi diceret juxta synceriorem illorum ver„borum interpretationem, eam esse vim unita„tis, quæ principium, & originem a Petri Se„de trahit, UT CUM EA SENTIENDI NE„CESSITATEM CÆTERIS IMPONAT.

Ex hujusce Antistitis, eorumque Patrum, quos ille citat, sententia, satis perspectum est definitiones Apostolicæ Sedis dogmaticas, nec falli posse, nec a fidelium acceptatione pendere;

(a) *lib. 3. cap. 31.*

dere; alioquin nequaquam cæteris cum Petri Sede ſentiendi neceſſitas imponeretur; ſi unquam eadem labi poſſet.

CAPUT IX.

Aliorum quoque illuſtrium Gallorum ſententia.

INfallibile judicium Papæ in decidendis ex Cathedra Controverſiis Fidei oſtendit Michael Mauclerus Doctor Sorbonicus in libris de Monarchia Divina Eccleſiaſtica, & ſæculari Chriſtiana Pariſiis Anno 1622. editis, & Gregorio XV., ac Ludovico XIII. Regi Franciæ dicatis, ſecund. p. lib. 4. cap. 4. 5. 6., & 7.; eamque communem eſſe in Scholis Theologorum ſententiam aſſerit dicto cap. 4. his verbis:

„Hæc, illa communis Sacræ Sapientiæ Pro„feſſorum, quæ docetur in Scholis aſſertio, „diſceptationum, cauſarumque de Fide cur„ſum, motumque Romani Pontificis in Cathe„dra Petri ſedentis conſopitum judicio finiri.

Anno DCCCLIX. Rhegino Abbas Monaſterii Prumienſis in Chronico ita ſcribit:

„Stultitiæ quidem elogio denotandi, qui il„lam Petri ſedem aliquo pravo dogmate falle„re poſſe arbitrati ſunt, quæ nec ſe fefellit,

„nec

„nec ab aliqua hæresi unquam falli potuit.

Anno MDCLXXI. in lucem publicam prodiere gallico idiomate Mainburgi Sermones, in quorum uno, secunda Quadragesimæ hebdomada, die Martis, pro hac ipsa infallibilitate Romani Pontificis ex Cathedra docentis ante accedentem Ecclesiæ consensum, & extra Synodum Oecumenicam, ita suam sententiam clare aperit, ut nihil supra:

„Obligamur (inquit) sub pœna æternæ dam-„nationis nos submittere Definitionibus Ca-„thedræ Sancti Petri, tuncque naufragium Fi-„dei patimur, cum doctrinas amplectimur ab „hac Cathedra damnatas, rejectasque. Frustra „vero, qui hanc submissionem non habet, pro-„testatur se Cathedram Petri pro prima, præ-„cipuaque habere, ac Fidei ab Ecclesia, Pa-„tribus, Conciliisque traditæ adhærere.

Hæc Mainburgus protulit plena voce, palamque, e suggestu, Gallia spectante, & audiente, antequam ira, quæ est inimica consilio, effrænataque ulciscendi libidine in Apostolicam Sedem exardesceret.

Andreas Duvallius Doctor Sorbonicus, & in Academia Parisiensi Regius Theologiæ Professor in lib. *de suprema Romani Pontificis in Ecclesiam potestate*, an. 1614. in lucem emisso, & a duobus aliis Doctoribus comprobato, sic scribit:

„Velint, nolint adversarii, liquidò constat „veteres Ecclesiæ Gallicanæ Proceres hanc in „Summis Pontificibus Petri Successoribus in-„fallibilitatem semper agnovisse, Christique

„Do-

„Domini orationem in Petro non ſtetiſſe, ſed
„ad ejus Succeſſores certiſſimè tranſiiſſe, eoſ-
„que, qui hanc veritatem impugnare conati
„ſunt, a ducentis, aut circiter annis, quibus in
„Eccleſiam horrenda ſchiſmata irruerunt, cæ-
„piſſe.

Joannes a Celaja Doctoratus lauream in U-
niverſitate Pariſienſi aſſecutus, in 3. ſentent.
quæſt. 4. quintam hanc ſtatuit Concluſionem:

Quinta Concluſio eſt iſta: „Romanæ Sedis
„judicium in his, quæ Fidei ſunt, & ad hu-
„manam ſalutem neceſſaria, errare nequit;
„quod probatur ex promiſſione Salvatoris no-
„ſtri (Luc. 22.) quæ verba allegat Bernardus
„ſcribens Innocentio Papæ &c. Idem aſſerunt
„D. Cyrillus, & D. Chryſoſtomus, & D. Gre-
„gorius.

Joannes Puteanus Profeſſor Regius in Aca-
demia Toloſana, qui Pariſiis Theologiam di-
dicerat, in 2. 2. S. Thomæ, quæſt. 1. art. 6. du-
bit. 2. concluſionem hanc ſecundam ponit:

„SOLIUS PONTIFICIS maximi eſt res de
„Fide Catholica definire, & eaſdem certò, &
„indubitanter proponere credendas.

Leonardus Coquæus in Univerſitate Pari-
ſienſi Doctor Theologus tom. 2. de Papa hæc
prædicat:

„Cum ſedeat in Cathedra Petri pro quo Do-
„minus rogavit, ut non deficeret Fides ejus,
„& ut confirmaret fratres ſuos, non ſinet eum
„ex illa Cathedra aliquem errorem loco Fidei
„ſalutiferæ obtrudere fidelibus credendum.

Hervæus Natalis Brito Ordinis Fratrum Præ-

dicatotum Generalis in tractatu de potestate Papæ, quem refert, & sequitur S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus ejusdem Ordinis, 3. part. Summæ Theologiæ tit. 22. cap. 2. probat necessitatem unius capitis in Ecclesia ex necessitate conformitatis in Veritate Fidei, & morum, hoc modo:

„In tota Universitate Christiana debet esse „conformitas de his, quæ pertinent ad veritatem Fidei, & bonos mores circa necessaria „ad salutem. Sed talis conformitas non potest salvari, nisi in ordine ad unum caput, „seu unum præsidentem, ad quem spectet sententiare, quid credendum, & quid non credendum. Ergo &c.

Scribebat Alexandro III. Petrus Blesensis ep. 68. „Sicut Eminentiam Apostolicæ Sedis „MAGISTRAM OMNIUM ECCLESIA„RUM profitemur: Sic ab ipsa consilia in ambiguis, in angustiis solatia, responsa in dubiis „expectamus.

Si erraret Magistra omnium Ecclesiarum; errarent omnes Ecclesiæ, atque adeo universa Ecclesia, quæ non nisi ex illis constat, ut satis omnibus perspectum est.

Maldonatus Hispanus, Gallicanæ tamen Doctrinæ alumnus, interpretans ea verba; *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*; „Hinc „demum, inquit, manifestum est, nec de illo „solum tempore, quo negavit Petrus, nec de „illo solum Petro; sed de omnibus ejus Successoribus loqui Christum. Nec enim tempore „passionis cæteros Apostolos Petrus confirma-

„vit:

„vit: & confirmandi alios necessitas perpetua „futura erat. ITAQUE IN PERSONA PE- „TRI OMNES PETRI SUCCESSORES jubet „fratres in fide servare. Quomodo firmare „possunt, si errare ipsi possunt? Propterea enim „Christus pro fide oravit Petri, ne deficeret, „ut alios confirmare posset, intelligens alios „confirmare non posse, si ejus fides defecisset. „Id etiam significat illud, *aliquando*, idest si „quando opus erit, siquis in fide aliquando „nutabit.

Joannes Gerson, cum adversus Græcos, & sui temporis hæreticos VViclefistas & scriberet, & ageret, ex hoc fundamento, quod ad solum Romanum Pontificem pertinet de rebus fidei cognoscere, atque decernere, hæc infert:

„Itaque ad Pontificem Romanum oportet „in rebus fidei provocare. Consonat ratio; „quia sicut ad unam fidem, & ad eadem Sa- „cramenta obligantur omnes Viatores, SIC „OPORTET, UT NON ESSET SCHISMA, „REDUCTIONEM FINALEM FIERI AD „UNUM SUPREMUM. Quamvis enim prin- „cipale caput, & tamquam essentiale sit Deus, „in carne humana caput Ecclesiæ Christus; vo- „luit tamen constituere caput secundum, tam- „quam Vicarium, quod in his inferioribus es- „set, & hoc caput vocamus Papam, Patrem „nostrum Sanctum, qui est verus, & SOLUS „Christi Jesu Vicarius; alioquin facile Ecclesia „laberetur in divisionem, nisi esset ei (a) CA-

 „PUT

(a) *Part. 1. de Auferibilit. Papæ Consid. 8., & 4. part. Serm. de Pace, & Unit. Græcor.*

„PUT QUODDAM PRINCIPALE, ET „SUMMUM, AD QUOD POTEST, ET „DEBET FIERI RECURSUS.

Emundus Richerius Doctor Theologus, & Collegii Cardinalitii in Academia Parisiensi Archididascalus quamquam calamum suum contra Romanum Pontificem distrinxerat; uno tamen, aut altero ante obitum anno summa cum laude, maximoque bonorum omnium gaudio resipuit, & palinodiam, ut ajunt, cecinit, mentemque suam aperuit publica, ac solemni retractatione in hanc sententiam:

„Ego Emundus Richerius presbyter Diœcesis „Lingonensis, Doctor Sacræ Facultatis Theo„logiæ Parisiensis, & Magnus Magister Colle„gii Cardinalitii Universitatis Parisiensis sub„signatus, cum perspexerim quasdam propo„sitiones Libelli a me scripti Anno 1611. de „Ecclesiastica, & Politica Potestate, (a) in ma„lam partem acceptas, hic protestor, & decla„ro me semper voluisse, atque etiam nunc „velle, & me ipsum, & libellum præfatum, „quascumque ejus propositiones, earumque „interpretationes, omnemque meam Doctri„nam Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, & SAN„CTÆ SEDIS APOSTOLICÆ JUDICIO „subiicere, quam Matrem, & Magistram om„nium Ecclesiarum, ET INFALLIBILEM „VERITATIS JUDICEM AGNOSCO.

S. Hieronymus ex Oriente scribit ad B. Damasum Papam in eam sententiam: „Discerni-

te

(a). *Extat apud Andr. Duval. initio Tractatus de suprem. potest. Pap. tom. 3. Bibliot. Pontif. Roccabert.*

„te, si placet, obsecro; non timebo (a) tres hy-„postases dicere. Quamobrem obtestor Beati-„tudinem Tuam per Crucifixum, Mundi salu-„tem, per Homousion Trinitatem, ut mihi „Epistolis tuis, sive tacendarum, sive dicenda-„rum hypostaseon detur auctoritas.

Hoc autem tanti Doctoris factum vehementer, & quidem merito suspexit, demiratusque fuit Carolus Magnus in eo de Imaginibus opere, quod literis Longobardicis exaratum in Bibliotheca Vaticana extare ejus Præfectus Augustinus Stheveus testatur. Ex eo igitur genuino Caroli opere hæc refert Eugubinus.

„Romana Ecclesia Sanctæ Fidei spiritualibus „munita armis, & a fonte lucis, & origine bo-„nitatis salutaribus satiata fluentis; & horren-„dis, atrocibusque hæresum obsistit monstris, „& meliflua prædicationis pocula Catholicis „per Orbem ministrat Ecclesiis. Nam Beatissi-„mus Hieronymus Vir divinis Legibus, & mul-„tarum linguarum peritia eruditus, dum Beth-„leemiticis moraretur in arvis, & a Beato Papa „Damaso Romæ posito de difficilibus consu-„leretur quæstionibus; eum pro causis Fidei „vice versa consuluisse dignoscitur; & sive ta-„cendarum, sive dicendarum hypostaseon, vel „quibus in orientalibus partibus communicare „debeat, humilibus apicibus, ut apices acci-„piat, deprecatur. Mira res, & magnis prædi-„canda præconiis! Interrogat a quo interroga-„tur: consulit a quo consulitur: „qui Magi-

 „strum

(a) ep. 57.

„strum se in interpretandis divinis Scripturis „sentit; IN CAUSIS FIDEI Venerandi Pon„tificis SE DISCIPULUM MINIME ERU„BESCIT: Et cui sacræ legis quæstionum ne„xus enodat, Utrum hypostases dicere debeat, „quibusve in Oriente communicaret, efflagi„tat. Unde datur intelligi Sanctos, & erudi„tos Viros per diversas Mundi partes prædica„tionis, & scientiæ lampade coruscantes, non „solum a Sancta Romana Ecclesia non reces„sisse, sed etiam in tempore necessitatis ob fi„dei corroborationem ab ea adjutorium implo„rasse. Quod regulariter omnes Catholicæ de„bent observare Ecclesiæ, ut ab ea post Chri„stum ad muniendam fidem adjutorium petant, „quæ non habens maculam, neque rugam, & „portentosa hæresum capita calcat, & fidelium „mentes in fide corroborat.

CA-

CAPUT X.

Aliorum quoque Sanctorum Patrum auctoritate oſtenditur certitudo Judicii Summi Pontificis in quaeſtionibus Fidei dirimendis ante conſenſum Eccleſiae, & extra Synodum Generalem.

Sanctus Hieronymus Maximus Doctor ep. 57. ad S. Damaſum Papam ita ſcribit, ut ſentit. „Quamquam igitur Tui me terreat magnitudo, invitat tamen humanitas, a Sacerdote victimam ſalutis, a Paſtore praeſidium ovis flagito. Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens Beatitudini tuae, ideſt Cathedrae Petri communione conſocior: ſuper illam Petram, aedificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc Domum agnum comederit, prophanus eſt: Si quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante Diluvio. Et paulo infra: „Non novi Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, ſpargit, hoc eſt qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt. Et inferius ſic: Diſcernite, ſi placet, obſecro, non timebo tres hypoſtaſes dicere &c. Quamobrem obteſtor Beatitudinem tuam per Crucifixum Mundi ſalutem, per Homouſion Trinitatem, ut mihi epiſtolis tuis,

„five tacendarum, five dicendarum hyposta-„feon detur auctoritas.

Rurfus idem, dialogo orthodoxi contra Luciferianos, ita: „Ecclefiæ falus in Summi Sa„cerdotis dignitate pendet: cui fi non exors „quædam, & ab hominibus, eminens detur „poteftas; tot in Ecclefiis efficientur Schifma„ta, quot Sacerdotes.

Hinc patet Romanum Pontificem effe unicum, Supremum, & infallibilem extra Concilium Oecumenicum, & ante fidelium acceptationem, Judicem Fidei controverfiarum; cujus definitiones fi penderent ab accedente confenfu Ecclefiæ univerfæ; cum Ecclefiæ inter fe fæpe difcrepent; Schifmata fæpenumero orirentur.

Rurfus idem Sacer Doctor fic ad Damafum Papam fcribit: „Quoniam vetufto Oriens inter „fe Populorum furore collifus indifciffam Do„mini tunicam, & defuper textam minutatim „per frufta difcerpit, & Chrifti Vineam exter„minat Vulpes, ut inter Lacus contritos, qui „aquam non habent, difficile, UBI FONS SI„GNATUS, ET HORTUS ILLE CONCLU„SUS SIT, poffit intelligi. IDEO MIHI CA„THEDRAM PETRI, & fidem Apoftolico „ore laudatam cenfui confulendam.

S. Auguftinus Doctorum fublimis Aquila in Pfalmo contra partem Donati ita prædicat clare infallibilitatem Romani Pontificis, ut nihil fupra. „Numerate (inquit) Sacerdotes, vel „AB IPSA PETRI SEDE, & in ordine illo „Patrum, quis cui fucceffcrit, videte; IPSA

„EST

„EST PETRA, QUAM NON VINCUNT „SUPERBÆ INFERORUM PORTÆ. Vincerent autem eam inferorum portæ, si unquam in definiendis Fidei quæstionibus extra Concilium Oecumenicum, & ante consensum Universæ Ecclesiæ, in errorem turpiter laberetur. Quod tanti Doctoris sententiæ prorsus est absonum.

S. Cyprianus Martyr lib. 4. ep. 9. ita scribit: „Qui Cathedram Petri, super quam fundata „est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse con„fidit?

Liceat mihi hoc loco Origenis verba usurpare, causæque nostræ bellè aptare. „Manife„stum (inquit ille) est, etsi non exprimatur, „(a) quod nec adversus Petrum, nec adversus „Ecclesiam portæ prævalere poterunt infero„rum; nam si prævalerent adversus Petram, „in qua fundata Ecclesia erat, contra Eccle„siam etiam prævalerent: Quo quidem fundamento jacto, ita mihi ratiocinandum puto. Patet portas inferi nunquam prævalituras adversus Ecclesiam: ergo patet etiam portas inferi, errores nempe, & hæreses nunquam prævalituras adversus Romanam Petri Sedem, super quam, teste etiam Cypriano, Ecclesia fundata est.

Hinc sequitur Definitiones Apostolicæ Sedis per se ipsas quoque etiam extra Concilium Oecumenicum, & ante consensum Ecclesiæ accedentem, esse penitus infallibiles.

Rur-

(a) *in cap. Matth. 16. & super hanc Petram &c.*

Rursus idem S. Cyprianus, lib. pr. epist. 8. ad plebem universam: „Deus (inquit) unus est, „& Christus unus, & una Ecclesia, & Cathe„dra una, super Petrum Domini voce fundata.

Ergo hujusmodi Cathedræ Definitiones dogmaticæ extra Concilium generale editæ non indigent ad suam firmitatem obtinendam, fidelium acceptatione; alioquin non una Cathedra, sed quamplurimæ assignarentur, atque hinc discordiæ, & Schismata gliscerent vehementer, & grassarentur.

Rursus idem Epist. 73. ad Jubascarum ait: *Nos unius Ecclesiæ Caput Judicem tenemus*.

Ergo hujus unius tantum Judicis, qui est Romanus Pontifex, Decreta dogmatica non pendent ab accedente consensu Ecclesiæ, sed ab eadem sunt veneratione summa colenda.

S. Optatus Milevitanus lib. 2. contra Parmenian. eamdem veritatem confirmat: „Cathedra „(inquit) una est, & negare non audes scire „te Petro primam in Urbe Cathedram esse col„latam, ubi sederit omnium Apostolorum ca„put Petrus, inde Cephas appellatus, in quo „uno Cathedræ unitas ab omnibus servaretur, „nec cæteri Apostoli singulas sibi quisque de„fenderent, ut jam SCHISMATICUS, & pec„cator esset, qui CONTRA SINGULAREM „CATHEDRAM, ALTERAM COLLOCA„RET. ERGO CATHEDRA UNA EST, „QUÆ EST PRIMA DE DOTIBUS. In ea „sedit primus Petrus.

Si dogmaticæ definitiones Romani Pontificis non essent ante consensum Ecclesiæ, & extra Sy-

Synodum generalem, penitus infallibiles, plures contra singularem Romanam Cathedram Petri, aliæ collocarentur, quotquot eam auderent corrigere; nec una Cathedra esset, a qua cæteræ Ecclesiæ docerentur, sed cæteri Episcopi singulas sibi quisque defenderent, ut jam horrenda Schismata, atque hæreses in Ecclesiam grassarentur. Quæ quidem omnia S. Optatus Episcopus Milevitanus mirum in modum detestatur.

S. Maximus Martyr antiquissimus, quique Monothelitas convicit, & elingues reddidit, Epistola ad Marinum Diaconum, præclarissimum Romanæ Cathedræ infallibilitati testimonium dedit in eam sententiam:

„Omnes orbis terrarum fines, & qui ubique „gentium Dominum verè, rectaque fide con„fitentur, velut in Solem sempiternæ Lucis in „Sanctissimam Romanam Ecclesiam, ejusque „Confessionem, ac fidem rectâ respiciunt, ex „ipsa fulgurans expectantes lumen. Ab initio „enim quando ad nos Dei Verbum assumpta „carne descendit, UNICAM FIRMAM BA„SIM, AC FUNDAMENTUM omnes ubi„que Christianorum Ecclesiæ, QUÆ IBI EST, „MAXIMAM nacti sunt, habentque ECCLE„SIAM, (a) ut in quam juxta ipsam Salvatoris „promissionem portæ inferi nullo modo præva„leant, sed quæ rectæ fidei in ipsum, & Con„fessionis claves habeat, & accedentibus reve„renter, quæ vera natura est, solamque reli„gio-

(a) Tom. 2.

„gionem aperiat, claudat vero, atque obstruat „omne os hæreticorum injustitiam loquens in „excelso.

S. Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus ep. ad Nicolaum I. Papam, quæ in Octava Synodo Oecumenica Act. 3. palam recitata est, præclarum testimonium supremæ potestatis, & irreformabilis infallibilitatis successori Petri dedit.

„Ad artus (inquit) humani corporis plagis, „& vulneribus saucios curandos medendi Ars „magnam Medicorum copiam suppeditavit; in „membris autem Christi Dei, ac Salvatoris „omnium capitis, ac Sponsi Catholicæ, & Apo„stolicæ Ecclesiæ UNUM TANTUM, AC „SOLUM Selectum, ac universalissimum Me„dicum, tuam nempe fraternam, paternam„que Sanctitatem supremum, & fortissimum „Dei verbum constituit per illa verba, quibus „Petro supremo, sanctissimoque Apostolorum „vertici dicit: Tu es Petrus, & super hanc Pe„tram ædificabo Ecclesiam meam, & Portæ in„feri non prævalebunt adversus eam. Et rur„sum. Tibi do Claves Regni Cælorum, & quod „ligaveris super terram, ligatum erit in Cælis: „& quod solveris, erit solutum. Hujuscemodi „vero beatas voces non soli Apostolorum Prin„cipi privata quadam sorte transcripsit, & „assignavit, sed per ipsum ad OMNES RO„MANÆ SEDIS PONTIFICES ILLI SUC„CESSUROS TRANSMISIT. Hinc retro, „olimque semper, cum hæreses, & scelera „pullularent, noxias illas herbas, & zizania, „Apostolicæ Sedis vestræ Successores extirpa-

„runt;

„runt; & nunc Tua Beatitudo digne tractans „acceptam a Christo potestatem, veritatis ho„stes fudit.

S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus in Lib. Thesaurorum inquit: „UT MEMBRA maneamus in capite nostro Apostolico Throno Ro„manorum Pontificum, A QUO NOSTRUM „EST QUÆRERE QUID CREDERE, ET „QUID TENERE DEBEMUS &c. Ipsius sci„licet Apostolici Throni Romanorum Pontifi„cum SOLIUS est reprehendere, corrigere, „statuere, solvere, disponere, & loco illius li„gare, qui ipsum ædificavit &c.

Hæc Sanctus Thomas profert contra errores Græcorum, & Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus in Apologia pro Synodo Florentina: qui cum agerent pro Latinis contra Græcos; non potuerunt suppostitia Loca adducere, nisi se ridendos præbere voluerint. Tum verò Andreas Collossensis Episcopus in Synodo Florentina palam testatus est Cyrillum in Thesauro, Romani Pontificis auctoritatem eximiè celebrasse; neque ullus Græcorum quidquam opposuit. Cave igitur mireris quod in Libro Thesaurorum, ex quibus Loca illa ab hisce Auctoribus referuntur; ea nunc reperire non licet. Detruncarunt enim Hæretici Librum illum, & quæ in eo ad Romani Pontificis auctoritatem pertinebant, hæc eraserunt omnia. Quod idem Commentariis Theophylacti super Joannem hæreticos fecisse, a Viris Catholicis, & deprehensum, & patefactum est. Quamquam non omnes Libri Thesaurorum latini facti

facti ſunt. Nam in Synodo ſexta citatur 32. Liber, qui nobis non eſt redditus.

Cum noſtrum ſit, e Sancti Cyrilli ſententia, quærere a Romano Pontifice quid credere, & quid tenere debeamus; manifeſtè patet veritatem, firmitatemque dogmatum Sedis Apoſtolicæ minime conſenſu Eccleſiæ indigere, licet extra Synodum generalem univerſis Chriſti fidelibus proponantur credenda.

S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus in Summa Theologica par. 4. titul. 8. cap. 3. inquit: „Licet Papa in particulari errare poſſit ut „in judicialibus, in quibus proceditur per in„formationem: ALIAS IN HIS, QUÆ „PERTINENT AD FIDEM, ERRARE „NON POTEST, SCILICET UT PAPA IN„DETERMINANDO, etiamſi ut particularis, „& privata Perſona &c. Verba illa *ut particularis, & privata Perſona*, ſignificant Papam ſolum abſque ullo Concilio ex Cathedra definientem errare non poſſe. Rurſus idem 3. part. Summæ Theologiæ tit. 22. cap. 2. probat neceſſitatem Unius Capitis in Eccleſia ex neceſſitate conformitatis in veritate fidei, & morum hoc modo: „In tota Univerſitatate Chriſtiana „debet eſſe conformitas de his, quæ pertinent „ad veritatem fidei, & bonos mores circa ne„ceſſaria ad ſalutem. Sed talis conformitas non „poteſt ſalvari, niſi in ordine AD UNUM „CAPUT, ſeu UNUM Præſidentem, AD „QUEM SPECTET SENTENTIARE QUID „CREDENDUM, ET QUID NON CRE„DENDUM. Ergo &c.

An

An Christus constituens Papam ad definiendas ejusmodi controversias *pro tota Universitate Christiana*, negavit quæ necessaria erant, ut certa esset ejus definitio *circa necessaria ad salutem?*

Sanctus Petrus Chrysologus, qui tempore Concilii Chalcedonensis floruit, epistola ad Eutychen: „In omnibus (inquit) hortamur Te „frater honorabilis, ut his, quæ a Beatissimo „Papa Romanæ Civitatis præscripta sunt (a) „obedienter attendas: quoniam B. Petrus, qui „in propria Sede & vivit, & præsidet, præstat „quærentibus fidei veritatem.

Sanctus Bernardinus Senensis part. 3. serm. 3. ita: „Cum Papa sit Christi Vicarius, & gerat „vicem Dei in terris, sequitur quod habeat „plenitudinem potestatis, & illud quod facit, „præsumitur facere auctoritate Dei. Ideò ipso „approbante aliquid, & nos approbare debe„mus; immo ipsius sententiæ est magis stan„dum, quàm totius mundi sententiæ.

B. Joannes a Capistrano postquam plurimis Sanctorum Patrum, Scripturæque testimoniis infallibilitatem Papæ nullo modo ab acceptatione fidelium pendentem evidenter ostendit; „Ex hoc (inquit) Christus oravit ut non defi„ciat Petri fides; ad Petrum ergo, Petrique „Successores, (b) quid credendum, quid con„fitendum, quid tenendum, ac prædicandum „de fide sit, pertinet declarare. Et paulo su„perius idem sic: „Nota quod in ambiguitate „opinionum magis credendum est legi cano-

nicæ,

(a) *extat. in actis Concil. Chalced.* (b) *de Papa, & Concil. Auct. part. 3. pag. 126.*

„nicæ, quàm dictis Sanctorum, vel Magistro-„rum, quia SOLI PAPÆ, NON ALTERI da-„ta est talium interpretatio dubiorum.

S. Gelasius Papa ita sentit: „Cum omnes „Apostoli æqualiter spiritali luce fulgerent; „unum tamen Principem esse ex illis voluit „Christus, eumque dispensatione mirabili in „Dominam Gentium Romam direxit, ut in „præcipua Urbe, vel prima primum, & præ-„cipuum dirigeret Petrum; ibique sicut do-„ctrinæ virtute sublimis emicuit; ita sanguinis „gloriosa effusione decoratus, æterno hospitio „conquiescit, PRÆSTANS SEDI (a) QUAM „ipse benedixit, UT A PORTIS INFERI „NUNQUAM PRO DOMINI PROMISSIO-„NE VINCATUR, omniumque sit fluctuan-„tium tutissimus portus.

Sanctus Innocentius a Sancto Augustino, & ab aliis Patribus tantopere commendatus epistol. 25. ad Episcopos Milevitani Concilii ann. 417., fontem perennem fidei Apostolicam Sedem sic exhibet: „Neque enim hoc „vestram credo latere prudentiam, qui id etiam „actione firmastis, scientes quod per omnes „provincias de Apostolico fonte petentibus „responsa semper emanant; Præsertim quoties „fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres, „& Coepiscopos nostros NON NISI AD PE-„TRUM, idest sui nominis, & honoris aucto-„rem referre debere, velut nunc retulit vestra „dilectio, quod per totum mundum possit Ec-„cle-

(a) *Epist. 14. in Tom. 4. Labbè.*

„clesiis omnibus in commune prodesse.

Sanctus Damasus Papa ita ad Stephanum Archiepiscopum Concilii Mauritaniæ, & universos Episcopos Africanæ Provinciæ scribit: „Scitis, fratres charissimi, (a) firmamentum „a Deo fixum, & immobile, atque titulum lu„cidissimum suorum Sacerdotum, idest omnium „Episcoporum Apostolicam Sedem esse consti„tutam, & verticem Ecclesiarum. Tu es enim „(sicut divinum pronunciat Verbum veraciter) „Petrus, & super firmamentum tuum Eccle„siæ columnæ, qui Episcopi intelliguntur, con„firmatæ sunt.

Innocentius tertius in Epistola ad Episcopum Arelatensem docet majores causas, & præsertim quæ ad fidem pertinent, ideo ad Romanum Pontificem esse perferendas, quod indefectibilis sit ejus, ut Petri, fides: „Majores (in„quit) Ecclesiæ causas, præsertim articulos fi„dei ad Petri Sedem referendas intelligit, qui „novit pro eo Dominum exorasse, ne deficiat „fides ejus.

Rursus idem Pontifex Maximus sermon. 2. in consecratione, suam aperit ita sententiam; „Nisi enim Ego solidatus essem in fide, quomo„do possem alios in fide firmare? quod ad of„ficium meum noscitur specialiter pertinere, „Domino protestante; ego, inquit, pro Te ro„gavi Petre, ut non deficiat fides tua, & Tu „aliquando conversus confirma fratres tuos. „rogavit, & impetravit: quoniam exauditus

E est

(a) *Tom. 1. part. 1. Concil. Binii.*

„est in omnibus pro sua reverentia. Et ideo „fides Apostolicæ Sedis in nulla unquam turbatione defecit, sed integra semper, & illibata permansit, ut Petri PRIVILEGIUM persisteret inconcussum. Ergo etiam semper illibata permanebit, ut *Petri privilegium inconcussum persistat*.

Quare optimo quidem jure Leo Magnus ad Episcopos Provinciæ Viennensis scripsit in eam sententiam: „Nobiscum itaque fraternitas vestra recognoscat Apostolicam Sedem pro sui „reverentia a vestræ etiam provinciæ Sacerdotibus, innumeris relationibus esse consultam, „& per diversarum, quemadmodum Vetus „consuetudo poscebat, appellationem causarum, aut retractata, aut confirmata fuisse judicia.

Unde quæso manavit illa necessitas consulendæ Apostolicæ Sedis in causis majoribus, præsertim ad fidei articulos pertinentibus? nisi ex eo quod pro Petro Dominus exoraverit, ne fides ejus deficeret, ut inquit Innocentius Tertius, & Sancti Patres, quotquot hactenus retuli, comprobaverunt.

CA-

CAPUT XI.

Generalium Conciliorum Sententia.

SAcrosancta Synodus Oecumenica Florentina Sessione ultima in Decreto Unionis sic statuit: „Definimus Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum Successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, TOTIUSQUE ECCLESIÆ CAPUT, ET OMNIUM CHRISTIANORUM Patrem, ET MAGISTRUM existere, & IPSI in Beato Petro PASCENDI, REGENDI, ET GUBERNANDI UNIVERSALEM ECCLESIAM A DOMINO NOSTRO JESU CHRISTO PLENAM POTESTATEM TRADITAM ESSE.

Patet ex allatis verbis Concilii, doctrinam, & sententiam, ac definitionem Pontificis e Cathedra docentis esse Fidei regulam, cui meritò debeant omnes Christiani in rebus Fidei mentis præstare obsequium. Cum enim ex hujusce Synodi sententia Romanus Pontifex sit OMNIUM CHRISTIANORUM MAGISTER; nequit ejus doctrina pendere ab acceptatione fidelium. Turpe est enim dicere, nedum cogitare excellentiam, veritatemque Doctrinæ, qua Magister discipulos imbuit, a

Discipulorum assensu oriri. Eadem igitur ratione turpissimum est affirmare doctrinam Papæ, qui est omnium Christianorum Magister, acceptatione, vel reprobatione discipulorum, scilicet Christi fidelium, veram, vel falsam evadere.

S. Agatho docet apertissime Romanam Ecclesiam *singularem* non solum in fide non deficere, sed ejus etiam esse reliquas omnes in Fide confirmare; in Epistola enim, quam idem Agatho ad Synodum sextam generalem misit, hæc profert:

„Spiritales oves Ecclesiæ (loquitur de B. Petro) ab ipso Redemptore omnium terna commendatione pascendas suscepit: cujus annitente præsidio HÆC APOSTOLICA ejus Ecclesia nunquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est, cujus auctoritatem utpote Apostolorum omnium Principis, semper omnis Catholica Christi Ecclesia, & Universales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis secutæ sunt, omnesque venerabiles Patres Apostolicam ejus Doctrinam amplexi, per quam & probatissima Ecclesiæ Christi lumina claruerunt, & Sancti quidem Doctores orthodoxi venerati, atque secuti sunt. Hæretici autem falsis criminationibus, ac derogationum odiis insecuti &c. Hæc est enim veræ Fidei regula, quam & in prosperis, & in adversis vivaciter tenuit, ac defendit. HÆC spiritalis Mater vestri tranquillissimi Imperii, Apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam a tramite Apostolicæ tradi-

tio-

„tionis nunquam erraſſe probabitur, nec hæ-
„reticis novitatibus depravata ſuccubuit: ſed „ut ab exordio Fidei Chriſtianæ percepit ab Au-„ctoribus ſuis Apoſtolorum Chriſti Principibus, „ILLIBATA FINE TENUS PERMANET. „ſecundum ipſius Domini Salvatoris divinam „pollicitationem, quam ſuorum Diſcipulorum „principi in Sacris Evangeliis fatus eſt: Petre, „Petre, inquiens, ecce Satanas expetivit, ut „cribraret vos, ſicut qui cribrat triticum: ego „autem pro te rogavi, ut non deficiat fides „tua, & tu aliquando converſus confirma fra-„tres tuos. Conſideret itaque veſtra tranquil-„la Clementia, quoniam Dominus, ac Salva-„tor omnium, cujus fides eſt, qui fidem Pe-„tri non defecturam promiſit, confirmare eum „fratres ſuos admonuit, quod Apoſtolicos Pon-„tifices meæ exiguitatis prædeceſſores confiden-„ter feciſſe ſemper, cunctis eſt cognitum.

Nequaquam igitur pro ſolo Petro, ſed etiam pro Petri Succeſſoribus rogavit Chriſtus, ne deficeret eorum fides, ut ſcilicet poſſent fratres confirmare, ſi quando in fide fluctuarent. Ergo definitiones dogmaticæ Papæ ut Doctoris publici ab oratione Chriſti, non ab acceptatione fidelium totam ſuam certitudinem, firmitatemque habeant neceſſe eſt.

Quomodo autem iſtam Beati Agathonis epiſtolam Univerſa Sexta Synodus Oecumenica recoluerit, venerataque ſit, teſtis eſt ipſamet Synodus non ſolum nihil adverſus teſtimonia pro infallibilitate Sanctæ Sedis prolata excipiens, ſed etiam ſubmiſſionem ſignificans

hisce verbis: „Sancta, & Universalis Synodus „suscipiens, & expansis manibus amplectens „tam suggestionem, quæ a Sanctissimo, ac Beatissimo Agathone Papa ante quæ Romæ facta „est &c. æquè amplexa est, & alteram Synodalem suggestionem, quæ missa est a Sacro „Concilio, quod est sub eodem Sanctissimo, „ac beatissimo Papa &c. binæ enim literæ Româ ad Sextam Synodum Oecumenicam missæ sunt.

In epistola ad eumdem Agathonem Synodus ita: „Tibi ut primæ Sedis Antistiti Universalis „Ecclesiæ quid agendum sit commendamus, „stanti super firmam fidei Petram, libenter perlectis veræ confessionis literis à vestra Paterna Beatitudine ad Piissimum Imperatorem „missis, quas ut a Summo Apostolorum Vertice divinè perscriptas agnoscimus.

Animadvertendum est autem primo a Sexta Synodo Generali esse agnitam Romanæ Cathedræ infallibilitatem. Secundo privilegium non errandi a Papa in Romanam Ecclesiam derivari: idque verba ipsa Evangelii ab Agathone recitata ostendunt: *Ego autem rogavi pro Te &c.* satis jam, superque habeo quod Pontificis judicium certum sit extra Concilium Oecumenicum, & antequam Universalis Ecclesiæ consensus accesserit.

CA-

CAPUT XII.

Conciliorum particularium sententia de irreformabili Papæ judicio in decidendis ex Cathedra Fidei quæstionibus.

Synodus Episcoporum Cypriorum ita ad S. Theodorum Papam scribit:

,,Firmamentum a Deo fixum, ,,& immobile, atque formam ,,lucidissimam fidei vestram ,,Apostolicam Sedem constituit, ò Sacer Ver-,,tex, Christus Deus noster. Tu enim es (sicut ,,divinum veraciter Verbum enunciat) Petrus, ,,& super fundamentum tuum Ecclesiæ colum-,,næ fixæ sunt. Tibi Claves Cælorum commi-,,sit, atque ligare, & solvere potestativè, & ,,quæ in Cælis, & quæ in Terris sunt, promul-,,gavit. Tu prophanarum hæresum eversor exi-,,stis, ut Princeps, & Doctor orthodoxæ, & im-,,maculatæ Fidei &c. Resolve nebulam insipien-,,tium lumine tuæ divinæ scientiæ.

Recitatur autem hæc Epistola Synodica Cypriorum Episcoporum in Concilio Lateranensi; qui quidem rogabant Theodorum Papam, ut Monothelitarum hæresim damnaret.

S. Theodorus Studita una cum sua Synodo Apostolicæ Sedis magisterium imploravit, ut quæstiones Fidei definiret, cum ita ad Paschalem Papam perscriberet:

,,Audi Apostolicum caput a Deo præposite

„Pastor ovium Christi, Janitor Regni Cælo-
„rum; Petra Fidei, super quam ædificata est
„Ecclesia Catholica. Petrus enim tu, Petri se-
„dem exornans, & gubernans. Lupi graves ir-
„ruperunt in caulam Domini: portæ inferi, ut
„olim, ruptæ sunt in ipsam &c. Huc igitur ab
„Occidente Christi imitator exurge, & ne re-
„pellas in finem. TIBI DIXIT CHRISTUS
„NOSTER, ET TU ALIQUANDO CON-
„VERSUS CONFIRMA FRATRES TUOS.
„Ecce tempus, ecce locus: opitulare nobis,
„qui es a Deo ad hoc ordinatus. Porrige ma-
„num quantum fieri potest. Habes potesta-
„tem a Deo, eoquod omnium Princeps es.
„Terreto, supplicamus, hæreticas feras calamo
„divini Verbi tui.

Synodica quoque epistola trium Africano-
rum Conciliorum ad S. Theodorum Papam ita
se habet:

„Magnum, & INDEFICIENTEM omnibus
„Christianis fluenta redundantem APUD
„APOSTOLICAM SEDEM CONSISTERE
„FONTEM nullus ambigere possit, de quo
„rivuli prodeunt affluenter, universum largissi-
„mè irrigantes orbem Christianorum, cui etiam
„in honorem Beatissimi Petri, Patrum decreta
„peculiarem omnem decrevere reverentiam in
„requirendis Dei rebus, quæ omnino, & so-
„licitè debent, maximè verò, justeque ab ipso
„Præsulum examinari vertice Apostolico, cujus
„Vetusta solicitudo est TAM MALA DAM-
„NARE, QUAM PROBARE LAUDAN-
„DA. Antiquis enim regulis sancitum est, ut
„quid-

„quidquid quamvis in remotis, vel in longinquo positis ageretur provinciis, non prius tractandum, vel accipiendum sit, nisi ad notitiam „Almæ Sedis vestræ fuisset deductum, ut hujus „Auctoritate justa quæ fuisset pronunciatio, firmaretur, indeque sumerent cæteræ Ecclesiæ „velut de natali suo Fonte prædicationis exordium, & per diversas totius Mundi Regiones „puritatis incorruptæ manarent fidei Sacramenta salutis.

Tres Africanæ Synodi prædicant *indeficientem fontem apud Apostolicam Sedem consistere omnibus Christianis fluenta redundantem*. Hæc autem trium Conciliorum testimonia falsa essent; si unquam Sedes Apostolica extra Concilium Oecumenicum, & ante consensum Ecclesiæ accedentem, errorem aliquem Universæ Ecclesiæ credendum proponeret; tunc enim verò *fons ille* minime esset *indeficiens*.

Concilium Quintilineburgense contra Henricianam, & VVecilianam hæresim celebratum Anno Domini MLXXXV. tempore Gregorii Papæ VII. sic habet:

„Cum ergo omnes juxta ordinem suum consedissent, prolata sunt in medium decreta „Sanctorum Patrum de Primatu Sedis Apostolicæ; quod NULLI UNQUAM LICEAT „EJUS JUDICIUM RETRACTARE, ET „DE EJUS JUDICIO JUDICARE. Quod „de totius Synodi publica professione laudatum, & confirmatum est &c. Quidam autem „Babembergensis Clericus nomine Gunibertus „Romani Pontificis primatui derogare volens,

„in

,,in mediam Synodum se contulit, asserens Ro-
,,manos Pontifices hunc sibi Primatum adscri-
,,psisse; non aliunde concessum hæreditasse, vi-
,,delicet ut nullus de eorum judicio judicare
,,debeat, nec illi alicujus judicio subjaceant.
,,Qui cum aperte a tota Synodo confutaretur,
,,præcipue tamen a quodam Laico convictus est
,,per illud Evangelicum: Non est discipulus (a)
,,suprà Magistrum. Cum enim hoc generaliter
,,in omnibus Ecclesiasticis Ordinibus observan-
,,dum deputetur, ne major a minore judicetur;
,,(b) quis hoc Vicario S. Petri denegare potuit,
,,quem omnes Catholici pro Domino, & Ma-
,,gistro venerantur?

Jam vero libet in medium proferre sensum Sacræ Facultatis Theologicæ Conimbricensis, quæ anno 1717. tanta veneratione Constitutionem Apostolicam Sanctissimi, ac Maximi Pontificis Clementis XI. quæ incipit, *Unigenitus Dei filius &c.* excepit, coluit, ac prædicavit; ut etiam concors, atque unanimis nullo penitus discrepante præclarissimum testimonium infallibilitati Papæ dederit in eam sententiam:

I.

,,Romanum Pontificem etiam EXTRA CON-
,,CILIUM, SUPRA QUOD EST, de re dog-
,,matica, sive de rebus ad fidem, & mores per-
,,tinentibus è Cathedra docentem Universæ
,,Ecclesiæ fideles, habere assistentiam infallibi-
,,lem Spiritus Sancti, proindeque, nec decipi,
,,nec decipere posse.

,,Con-

(a) *Math.* 10. (b) *Tom.* 3. *part.* 2. *Binnii.*

I I.

„Constitutiones Pontificias dogmaticas non „indigere ad suum robur, ac vigorem obtinen„dum fidelium populorum acceptatione, aut „consensu; nec proinde talem acceptationem, „aut consensum aliquo modo esse auctorita„tivum.

I I I.

„Sentire omnes ad valorem alicujus Bullæ „Pontificiæ, & dogmaticæ multo minus requi„ri acceptationem, aut consensum alicujus „particularis Ecclesiæ; sed sufficere solum lo„cutionem Pontificis ex Cathedra universam „Ecclesiam docentis.

I V.

„Omnes testati sunt se non causa acceptan„di prędictam Constitutionem convenisse, quasi „ipsa tali acceptatione indigeret ad suum valo„rem, sed tantum ad eam venerandam, ac „debitam ei obedientiam præstandam.

Operæ pretium est nonnullas particulas, ne minus voluptatis legentibus præbiturus sim, Epistolæ afferre Capituli Metropolitanæ, & Patriarchalis Ecclesiæ Hispalensis ad Summum Pontificem Clementem XI. scriptæ, cujus hæc est sententia:

„Beatissimo Patri, hujus temporis Petro, „Christi Domini Vicario, Ecclesiæ Catholicæ, „& Apostolicæ visibili in terris Capiti, Episco„porum Episcopo, immobili Fidei Petræ, Do„minici gregis Summo, & universali Pastori, „Sanctissimo Domino Nostro Clementi Papæ „XI. post humillimam, devotissimamque reve„rentiam.

Bea-

Beatissime Pater.

„HIspalensem Ecclesiam Sanctę Sedis Apo-
„stolicæ Romanæ filiam, & Cathedræ
„B. Petri Apostolorum Principis, Christi Do-
„mini in terris Vicarii, ejusque Successorum
„Romanorum Pontificum fidelissimam semper
„discipulam extitisse, omnium sæculorum mo-
„numenta testantur. Et quando alia omnia
„deessent, Pater Beatissime; duo illa præcla-
„rissima, non Hispaniæ modo, verum & Eccle-
„siæ totius lumina, & adversus hæreses, Aria-
„norum præcipue tunc grassantes, fulmina,
„Sanctissimi, Sapientissimique Præsules nostri
„Leander, & Isidorus abundè nos possunt edo-
„cere. Hinc illa S. Gregorii Magni incompara-
„bilis Pontificis cum Hispalensi Leandro con-
„cordia, & strictissima amicitia. Hinc Isidori er-
„ga Romanam Sedem observantia, qui in Pon-
„tifice Romano Petrum (a) humani gregis, &
„generis Pastorem verebatur. Quorum nos la-
„cte nutriti, doctrina imbuti, exemplis edocti,
„nec passi sumus unquam, nec ab Apostolica
„Cathedra (Deo favente) divelli patiemur &c.

„Nec vero nunc opus esset, Beatissime Pa-
„ter, nostram reverentiam, ac submissionem,
„non voluntatis duntaxat, sed & intellectus
„in obsequium Fidei, Romanis Pontificibus,
„ac proinde Sanctitati Vestræ concreditæ, pa-
„lam in Orbis Catholici oculis, & auribus his
„lite-

(a) *lib. de vita, & morte Sanctor.*

„literis oſtentare; niſi rebelles, & alieni filii „contra Matrem aperte pugnantes mentirentur, & Hiſpanienſes Eccleſias, tamquam ſibi „in errore antiquis ſæculis inaudito conſentientes traducerent. Horruimus, Beatiſſime Pater, ad tam prodigioſi mendacii inſolentiam. Et ſi quidem in rebus aliis, aut, temporalibus negotiis calumnia verſaretur; contemnendam potius, quam referendam merito „cenſeremus. Cum autem in eo moveatur cardine, quem nos baſim, & firmiſſimum Fidei „& ſalutis æternæ fundamentum exiſtimamus; „Religioni profecto eſſet, ſi vel leviſſimam rimam falſitati famam noſtram funditus evertenti, & fædiſſima nota denigranti ſupereſſe „pateremur &c.

„Quis enim alius ſectariorum, & maximè „janſenianorum ſcopus eſt, niſi, quò juſtiſſimam damnationem eludant, Romanæ Sedis „auctoritatem, qua arte poſſint, deprimere, & „vano Concilii prætextu ROMANI PONTIFICIS INFALLIBILITATEM IN REBUS „FIDEI DEFINIENDIS, e ſuo gradu deiicere? quaſi ad eorum errores proſcribendos, „totum, quam late patet, Orbem commoveri „neceſſe foret præter omnis Eccleſiaſticæ antiquitatis morem, & ſenſum &c.

Credidi, (*a*) propter quod locutus ſum, ait Regius Vates; addimus cum Sancto Paulo: Et nos credimus, (*b*) propter quod, & loquimur. „Duplicem Sanctitatis Veſtræ Conſtitutionem „acce-

(a) *Pſal.* 115. (b) 2. *ad Corint.*

„accepimus, utramque fapientia, prudentia, „& integritate Apoftolica digniffimam: alteram „Anno 1706. incipientem: *Vineam Domini Sabbaoth* contra Janfenianorum cavillos: alteram VI. Idus Septembris Anni 1713. editam, „cujus initium eft: *Unigenitus Dei filius*, in qua „Sanctitas Veftra Auctoris famofi (mala utique fama, ut olim dixit Auguftinus) libros, „& excerptas ex eis captiofas propofitiones plures confixit.

„UTRAMQUE CÆCA FIDEI OBEDIENTIA AMPLEXATI SUMUS, TAMQUAM DEI E CÆLO PRONUNCIANTIS ORACULA, NULLIUS EXAMINI OBNOXIA, NULLIUS ACCEPTATIONIS INDIGA, NON QUASI ASSENSU NOSTRO ALIQUID ILLIS AUCTORITATIS, AUT ROBORIS ADDEREMUS; „fed ut obfequii Sanctitati Veftræ jure debiti, „nobis gloriam poffemus vindicare: quod quidem vel ufque ad fanguinis profufionem & „omnes, & finguli maximo animi ardore, & „veriffima confenfione Sanctitati Veftræ præftandum elata voce in noftro Capitulo conteftati fumus.

„Scimus enim B. Petrum a Chrifto Domino „Paftorum Principe, Paftorem inftitutum, quo „nomine (notante S. Joanne Chryfoftomo) *nullus Apoftolorum alius* (a) *ab ipfo compellatus eft*. „Scimus etiam clamante in media Galliæ luce „S. Bernardo, Eugenium Romanum Pontificem,

(a) *Homil.* 55. *in Mat.*

,,cem, ac proinde quemlibet Petri successorem ,,legitimum, NON SOLUM OVIUM, SED ,,ET PASTORUM (a) UNUM ESSE PASTO- ,,REM . Id nimirum est, quod planè edixit ,,Christus Dominus, cum B. Petro non modo ,,agnos tradidit pascendos, nempe fideles, sed ,,etiam oves, ideft Episcopos, & quidem indis- ,,criminatim omnes, sive eæ conjunctæ sint, si- ,,ve separatæ, explicantibus eodem Bernardo, ,,& Lugdonensi Eucherio. Novimus Roma- ,,num Pontificem UNIUS (b) immaculatæ Co- ,,lumbæ nutritorem, puro, selectoque doctri- ,,næ grano, ut ait eximium Galliæ decus Al- ,,cuinus: ille caput est (c) totius corporis, cui ,,quidquid est fidelium submittitur; adjungit ,,S. Ennodius. Nec minus clare Gallus Hinc- ,,marus: de omnibus dubiis, vel obscuris, quæ ,,ad rectæ Fidei tenorem, vel pietatis dogma- ,,ta pertinent, Sancta Romana Ecclesia ut ,,omnium Ecclesiarum Mater, & Magistra, nu- ,,trix, & doctrix est consulenda. Transcripsit ,,S. Cyrilli Alexandrini Patriarchæ sententiam, ,,quam conservatam debemus Angelico Præ- ,,ceptori. (d) Non ad Gallicanam, non ad ,,Hispaniensem, non ad Alexandrinam, immo ,,neque ad Concilium, cui præsidebat Roma- ,,ni Pontificis nomine, nos ablegat, sed ad ,,Romanam omnium nulla excepta Magi- ,,stram.

,,Ipsimet Concilii Oecumenici Ephesini Pa- ,,tres, quorum maximè intererat Concilii Ge- ,,ne-

(a) *lib. 2. de Consid. cap. 8.* (b) *Homil. de S. Joan. Evang.*
(c) *Ep. 27. ad Leon. Pap. in Apolog.* (d) *D. Thom. opusc. 1. c. 68*

„neralis auctoritatem extollere, non Episcopos, „non alias Ecclesias, non denique ipsum Con„cilium, sed Romanum Pontificem Fidei (a) „custodem prædicant. Quis non vel risu, vel „indignatione potius excipiendum putaret eum, „qui Pastorem ab ovibus corrigendum effuti„ret? Extra ovile esse oportet (in quo præter „oves, & agnos nihil est) qui pastori non su„biicitur, aut per summam injuriam ovibus „(quæcumque, & quantæcumque illæ sint) su„premum Imperium audet attribuere. Monuit „nos Sanctus Avitus Viennensis: Synodalem „legem esse, (b) ut in rebus, quæ ad Ecclesiæ „statum pertinent, si quid fuerit dubitationis „exortum, ad Romanæ Ecclesiæ Magnum Sa„cerdotem, quasi ad Caput nostrum membra „sequentia recurramus. Ipso quippe rationis „lumine notum videtur, non Pastori gregem, „quamvis numerosum, & lectissimum, leges „dare debere, sed gregi Pastorem: nec liberum „ovibus est ab illius Decretis resilire: cui nol„le primas (c) dare, vel summæ profectò impie„tatis est, vel præcipitis arrogantiæ, ex S. Au„gustini sententia. Sanè nostrum non est eam „in reclamantes intorquere censuram, quam „circa nascentis hujus erroris tempora scripto „edidit Sanctitate æque, ac doctrina clarus „Præsul S. Antoninus, cum ajebat: NEC AD „CONCILIUM GENERALE (d) A PAPA „APPELLARI POTEST, QUIA PAPA „OMNI CONCILIO SUPERIOR EST, nec „ro-

(a) *Tom. 2. cap. 15.* (b) *ep. 36.* (c) *August. de util. cred.* (d) *part. 3. cap. 3. tit. 23.*

„robur habet quidquid agitur, nisi auctoritate „Romani Pontificis roboretur, & confirmetur. „SENTIRE ERGO QUOD AD CONCI„LIUM A PAPA APPELLARI POSSIT, „EST HÆRETICUM, ET CONTRA IL„LUM ARTICULUM, *Sanctam Ecclesiam Ca„tholicam*.

„Nos equidem, Beatissime Pater, non aliam „Fidei regulam agnovimus, quàm quæ a Ro„mani Pontificis, atque adeo a Sanctitatis Ve„stræ ore proficiscitur. In morte sua (inquit „Hispanus, & antiquus contra hæreticos scri„ptor Lucas Tudensis) statuit Dominus (*a*) Ro„mano Pontifici summæ excellentiæ, dignita„tis, pacis, & gloriæ testamentum, & Princi„pem fecit illum, ut sit illi semper super cun„ctos Ecclesiæ Rectores Sacerdotii dignitas in „æternum. Hic omnium Hispanarum Ecclesia„rum, & nostræ præsertim Hispalensis sensus „fuit. SANE PETRUS, ET QUICUMQUE „CERTUS, ET INDUBITATUS PONTI„FEX ROMANUS, PETRA EST INVIO„LABILIS, CONTRA QUAM INFERO„RUM PORTÆ, hæreses, & errorum monstra „NUNQUAM PRÆVALEBUNT; contra „cujus auctoritatem nec Hieronymus, nec Au„gustinus, nec aliquis (*b*) Sacrorum Doctorum „(quanto minus inferioris subsellii scriptores) „suam sententiam defendit, ut nos edocet „S. Thomas &c. Nulli extra ejus (Papæ) obe„dientiam pastores, sed lupi, simplicem fide-

(a) *lib. 2. contr. Albig. cap. 12.* (b) *D. Thom. 2. 2. quæst. 11. art. 2. ad 3.*

„lium gregem devastantes, venenosis pascuis „mactantes potius, quam alentes &c. „Improbamus, & anathematizamus quidquid Sanctitas Vestra è Romana Sede anathematizat, & „improbat. Cathedræ Petri (ut S. Damaso „olim asserebat Hieronymus) communione „consociamur. Gallicanos Patres in Lateranensi generali Concilio audimus profitentes: ab „Apostolicæ Sedis unitate (a) nunquam voluimus, nec in futurum volumus separari. Idem„que hodie pene omnes Galliæ Præsules ejusdem Fidei hæredes profitentur. Refractarias „oves non balantes, sed serpentum ritu sibilantes non audimus, sed temerarios earum „strepitus horrore prosequimur &c.

CAPUT XIII.

Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Imperatorum, aliorumque celeberrimorum Scriptorum Sententia.

MAximianus Patriarcha Constantinopolitanus clarissimum infallibilitati Papæ testimonium dedit in eam sententiam:

„Omnes fines terræ, qui Dominum syncere receperunt, „& ubique terrarum Catholici veram fidem „con-

(a) *Concil. Later. Sess. 9.*

„confitentes in Poteſtatem Romanorum Ponti-
„ficum tanquam in ſolem reſpiciunt, & ex ipſa
„lumen Catholicæ, & Apoſtolicæ fidei reci-
„piunt. Nec immerito, quia Petrus legitur pri-
„mò perfectam fidem eſſe confeſſus, Domino
„revelante, cum dixit: Tu es Chriſtus filius
„Dei vivi &c. Decebat tantæ dignitatis, & ſa-
„pientiæ Virum non ab alio cæleſtis myſterii ar-
„cana requirere, niſi ab eo potiſſimum, quem
„non potuit caro, & ſanguis inſtruere, ſed
„cui Dominus ipſe ſua ſecreta dignatus eſt ape-
„rire: Beatus es (inquit) Simon Bariona &c.
„Hunc enim de cæteris mortalibus ex toto ter-
„rarum Orbe conditor Orbis elegit; cui Ca-
„thedram Magiſterii principaliter poſſidendam
„tenere PERPETUO PRIVILEGII JURE
„CONCESSIT; ut quiſquis divinum aliquid,
„aut profundum noſſe deſiderat, ad hujus Præ-
„ceptionis Oraculum, Doctrinamque recur-
„rat; ne illi humiliter referre quod ſolvendum
„eſt, erubeſcat, etiamſi ipſe quod quæritur,
„non ignoret.

Joannes Patriarcha Conſtantinopolitanus antiquiſſimus in ſua profeſſione fidei, quæ in Concilio Chalcedonenſi extat, perinde ſentit, ut ſcribit:

„Prima ſalus eſt rectæ fidei regulam cuſto-
„dire, & a Patrum traditione nullatenus de-
„clinare, quia non poteſt Domini prætermitti
„ſententia dicentis: Tu es Petrus, & ſuper
„hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Hæc
„quæ dicta ſunt, rerum probantur effectibus,
„quia in Sede Apoſtolica INVIOLABILIS

„SEMPER Catholica custoditur Religio &c. „quapropter sequentes in omnibus Sedem A-„postolicam, prædicamus omnia, quæ ab ipsa „decreta sunt, & propterea spero in una Com-„munione vobiscum, quam Apostolica Sedes „prædicat, me futurum, in qua est integra Chri-„stianæ Religionis, & perfecta soliditas.

Animadvertendum est Patriarcham hunc *inviolabilem semper Catholicæ Religionis custodiam, quæ in Apostolica Sede* viget, infallibili Christi Domini pollicitationi illi: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*; acceptam referre, ut legentibus compertum est.

Imperator Constantinus Pogonatus idem sentit, cujus rescriptum ad Papam palam Universa Synodo Sexta Generali action. 18. recitatum est:

„Gloria (scribit ad Agathonem Papam) glo-„riosa facienti Deo, qui fidem apud vos inde-„pravatam conservavit. Quomodo enim id fa-„cturus non erat in ea Petra, superquam ipse „fundavit Ecclesiam, & portas Inferi, hoc est „hæreticorum insidias non prævalituras adver-„sus eam prædixit?

Michaelem Imperatorem jam supra capite 2. memoravi. Sed redeundum est ad Patriarchas, inter quos referendus est Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus, qui tempore Florentinæ Synodi floruit: quique ad ostendendam Papæ docentis ex Cathedra infallibilitatem extra Concilium Oecumenicum, & ante accedentem Ecclesiæ consensum, illustre, & antiquum recitat testimonium Sancti Theodori

stu-

Studitæ, quod ita habet ad Pasqualem Papam:
„Audi Apostolicum Caput, a Deo electe, Pa-
„stor ovium Christi, Claviger Regni Cælo-
„rum, Petra Fidei, super quam ædificata est
„Ecclesia Catholica. Nam Tu es Petrus, Pe-
„tri Sedem exornans, & gubernans. Huc ades,
„ab occidente exurge, & ne repellas in finem:
„TIBI namque dixit Christus Deus noster: &
„Tu aliquando conversus confirma fratres tuos.
Deinde ipsemet hæc addit de suo: „Compro-
„bamus (a) Pontificem esse Petri Successorem,
„& Vicarium Salvatoris Nostri Jesu Christi,
„EUMQUE SOLUM obtinere potestatem om-
„nem Ecclesiam absolutè dirigendi, & guber-
„nandi, ligandi, & solvendi, redarguendi, be-
„nedicendi, maledicendi, corrigendi, ac me-
„dendi, SOLUMQUE ILLUM HABERE
„FACULTATEM DE FIDE, & Sacerdotio
„exquirendi.

Gregorius Protosyncelus, & postea Patriarcha, qui Romæ sepultus miraculis coruscavit, responsione ad Marcum Ephesium, contra ipsum ostendit infallibilitatem Papæ absolutàm, nec ullo modo vel à Concilio Oecumenicò, vel a consensu Universalis Ecclesiæ pendentem; ostendit, inquam, etiam testimonio Theodori Studitæ in hanc sententiam:

„Quod de Papa (inquit) dicimus, non ex no-
„bis dicimus: Nam Theodorus Studita Episto-
„la ad Naucratium: Deum (inquit) homines-
„que contestor; sejunxerunt se a Corpore Chri-

(a) Sessio. 16. cap. 5. Tom. 26. Biblioth. Patr.

„sti, A SUPREMA SEDE, in qua Christus „posuit fidei claves, adversus quam non prævaluerunt per omne sæculum, NEC PRÆVALEBUNT USQUE AD FINEM SÆCULI INFERI PORTÆ, ora videlicet hæreticorum, SICUT PROMISIT ILLE (a) QUI „NON MENTITUR.

Gabriel Patriarcha Alexandrinus cum tota sua Ecclesia Sedis Apostolicæ communionem ut impetraret, eidem debitam obedientiam exhibiturus, legationem anno 1594. ad Romanum Pontificem Clementem VIII. misit, quem per literas vocat: „Patrem Patrum, Patriarcharum Principem, tertium decimum Apostolorum Jesu Christi, & quintum Sanctorum Evangelistarum, & Sancti Petri Apostoli successorem, ET PETRAM FIDEI, quem Christus constituit Catholicæ fidei habenas tenentem, & Sanctæ, Catholicæ, & Apostolicæ Romanæ Dei Ecclesiæ fundamenta servantem, CAPUT, MAGISTRUM, Prædicatorem totius Populi Dei.

Josephus Patriarcha Constantinopolitanus sessione 25. Concilii Florentini suam sententiam aperuit: „Profiteor Beatissimum Patrem Patrum, & Maximum Pontificem, & Vicarium „Domini nostri Jesu Christi antiquæ Romæ Papam AD CERTAM OMNIUM FIDEM.

Idem Patriarcha, ut a Sylvestro Sguropulo traditur, (b) dixit: „Nobis latini ab initio asseverarunt, quidquid per se SOLUS Papa decernit,

(a) *in Concil. Florent. Binnii*. (b) *lib. 6. cap. 11.*

„nit, ita firmum ab omnibus excipi, ac si ab „ipso Deo promulgatum humano Generi pro„manasset.

Sancto Theodoro Papæ defuncto cum Martinus successisset, & Monothelitarum hæresis adhuc per orientales plagas longè serperet, & grassaretur; Sanctus Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus Stephanum Dorensem Episcopum Romam misit: qui quidem in Lateranensi Concilio, quod ante sextam Generalem Synodum celebratum fuit; palam omnibus contenta voce sic fatus est ad Martinum Papam: „Annunciemus hæc omnia omnibus præpositæ, dico autem, Summæ Vestræ, & principa„li Sedi ad medicinale consultum emersi vulne„ris: quippe quoniam hoc potestativè olim, „& ab antiquitus facere per Apostolicam, sive „canonicam consuevit auctoritatem; dum aper„ta lucubratione non solum Claves Regni Cæ„lorum creditæ sunt ei, atque ipse tantummo„do ad aperiendum eas fidelibus quidem di„gnè, minime autem Evangelio gratiæ creden„tibus justè claudere Magnus secundum verita„tem, & Princeps Apostolorum meruit Petrus; „sed etiam & pascere primus jussus est oves „Catholicæ Ecclesiæ, cum Dominus dicit, Pe„tre amas me? Pasce oves meas: & iterum „ipse præcipuè, ac specialiter firmam præ om„nibus habens in Dominum Deum nostrum, „& immutabilem fidem, convertere aliquan„do, & confirmare exagitatos consortes suos, „& spiritales meruit fratres, utpote dispensati„vè super omnes ab ipso, qui propter nos in-

„carnatus est Deus, potestatem accipiens, & Sa-„cerdotalem auctoritatem. Quod sciens Pa-„triarcha Sophronius me ad hanc Apostolicam, „magnamque direxit Sedem: quantocyus, di-„cens; de finibus terræ ad terminos ejus deam-„bula, donec ad Apostolicam Sedem, ubi or-„thodoxorum dogmatum fundamenta existunt, „pervenias, & non quiescas, donec ex Apo-„stolica prudentia, quæ in Deo est, ad victo-„riam judicium perducere debeant, & noviter „introductorum dogmatum perfectam faciant „destructionem.

Humbertus Sylvæ Candidæ Episcopus ad Leonem Papam: „Leo autem profanos Vete-„ratores, tumenti arrogantia inflatos, frustra „contra Romanam Ecclesiam conari ostendit, „illud perpetuæ veritatis reponens: Romanæ „Ecclesiæ fides per Petrum supra Petram ædi-„ficata, nec hactenus defecit, nec deficiet in „sęcula, Christo ejus Domino rogante, pro ea „ceu testatur sub ipsa passione sua: Ego roga-„vi pro Te Petre, ut non deficiat fides tua: & „Tu aliquando conversus confirma fratres tuos. „Quo dicto demonstravit fidem fratrum vario „defectu periclitandam, sed in concussa, & in-„deficiente fide Petri velut firmæ anchoræ sub-„sidio figendam, & in fundamento universalis „Ecclesiæ confirmandam. Quod nemo negat, „nisi qui evidenter hæc ipsa veritatis verba im-„pugnat. Quod sicut cardine regitur ostium; „ita Petro, & Successoribus ejus totius Eccle-„siæ disponitur emolumentum, & sicut cardo „immobilis permanens ducit, & reducit ostium;

„Sic

„sic Petrus, & sui Successores liberum de omni „Ecclesia habent judicium, cum nemo debeat „eorum dimovere statum: QUIA SUMMA „SEDES A NEMINE JUDICATUR.

Melchior Canus Episcopus Canariensis, quique Concilio Tridentino interfuit, Lib. 6. cap. 6. de Locis Theologicis ita scribit: „Illud as„sero, acfidenter quidem assero, pestem eos „Ecclesiæ, ac perniciem afferre, qui aut ne„gant Romanum Pontificem Petro in fidei, do„ctrinæque auctoritate succedere, aut certè „astruunt summum Ecclesiæ Pastorem, quicum„que tamen ille sit, errare in fidei judicio posse.

Guido Majoricensis Episcopus, qui decimo quarto Sęculo floruit, in Tractatu contra Valdonsium errores ita pronunciat: „Constat quod „Dominus Petrum, & in Petro Petri successo„res posuit omnium Ecclesiarum Caput, cui „ait Dominus, Lucæ 22., Rogavi pro Te, ut „non deficiat fides tua, & Tu aliquando con„versus confirma fratres tuos. Ita quod in DI„RECTIONE, ET CONFIRMATIONE FI„DEI PETRO, ET PETRI SUCCESSORI„BUS EST STANDUM, ET OBEDIEN„DUM &c. Manifestum est quod in Petro „omnes continentur ut in capite post Chri„stum, & Ovium Christi Pastore. Sic quod „Petri fides non deficiet a Sede Apostolica, „nec a Romana Ecclesia Christi Sponsa, quæ „tota pulchra est, & labes hæresis, seu macu„la non est in ea &c. item, Nolentes obedire „Romano Pontifici Pastori Ovium Christi, cui „in Petro Dominus ait; Pasce oves meas; desi-

„nunt

„nunt esse oves Christi, quia Oves Christi vo-„cem (a) ejus audiunt, & Christus cum Petri „Successoribus adest per suam gratiam eos di-„rigens, & confirmans in fide, ut eorum do-„ctrina, & regimine perseveret Sedes Aposto-„lica, & Romana ecclesia sine ruga, aut ma-„cula hæreticæ pravitatis.

Anno MCCCCXXXVIII. palam Græcis, Latinisque Patribus sess. 7. Florentinæ Synodi Generalis audientibus, ac spectantibus, Julianus Cardinalis hanc veram vocem misit: „Quoniam (inquit) recitastis superiori sessione „Epistolam Agathonis Papæ, illamque valde „authenticam existimastis, duo volo addere „verba ad quod dixit D. Rhodi Præsul. Primum „dixit, quotiescumque error aliquis emerserit, „Papæ INCUMBERE NECESSITATEM do-„cendi populos Catholicam veritatem. Postea „dicit totam Christi Catholicam Ecclesiam, & „Patres omnes suscepisse auctoritatem Roma-„næ Ecclesiæ, & secutos esse per omnia ejus „doctrinam. Recitabo Epistolam.

Epistola Agathonis Papæ.

„SI silentio texero veritatem, quam erogare „nummulariis jussus sum per illa verba: Pa-„sce oves meas &c. Tu aliquando conversus „confirma fratres tuos. Quandoquidem nobis „incumbit necessitas docendi Christianos, quæ „pertinent ad veritatem &c. Tota Christiano-„rum

(a) *Joan. 10.*

„rum Ecclesia Catholica, & omnes universa-
„les Synodi fideliter amplectentes ejus doctri-
„nam, & omnes Sancti Doctores, & Ecclesiæ
„luminaria in omnibus ejus doctrinam secuti
„sunt.

Deinde subdit, deducitque Julianus ita: „Hinc patet, quoties de Fide, aliqua oritur du-
„bitatio, Romanum Pontificem debere, ac te-
„neri illam declarare, atque illo docente, omnes
„Synodos, & Ecclesiam Universam debere hu-
„jusmodi veritatem sequi. Et hoc dicit Episto-
„la recitata, & approbata in sexta Synodo.

Papa docente Fidei dogmata, debent omnes Synodi, quoties videlicet celebrantur, nec-non universa Ecclesia veritatem hujusmodi sequi: ergo dogmaticæ Definitiones Papæ docentis ex Cathedra, neque a Generali Synodo, neque ab accedente consensu Ecclesiæ ullo modo pendent. Per se ipsas igitur ante consensum Ecclesiæ, & extra Concilium Oecumenicum sunt penitus infallibiles; alioquin si labi possent; non deberent illis Concilia, nec Ecclesia mentis præstare obsequium.

Episcopus Rhodi in eadem Florentina Synodo dixit: „Quod verò auctoritatem ita ex-
„planandi (Symbolum) habeat Romana Ec-
„clesia, unam tantummodo sententiam græ-
„cam afferemus in præsens, qua demonstrabi-
„tur Sedem hanc Petri SOLAM esse, in qua
„potestas sit explicandi Fidem; propter quod
„nunquam Portæ inferi prævaluerunt adver-
„sus eam: immo nec attigerunt quidem.

Sedes hæc sola Petri est, in qua est potestas expli-

plicandi Fidem. Igitur postea quam hæc dogma Fidei aliquod explicaverit, credendumque Ecclesiæ proposuerit; nequaquam est in potestate fidelium illud refellere, vel contrarium prędicare. Ergo definitiones hujusce Sedis neque Concilii Oecumenici, neque Ecclesiæ consensu indigent, ut firmæ, ratæ, certæque sint.

De primatu Petri Oratio ad Sacrosanctam Tridentinam Generalem Synodum die Petro, ac Paulo Sacra, est habita a Gasparo Cardillo Villalpandeo anno 1562. cujus Orationis thema est hoc: *Tu es Petrus &c.* „Cum Vicario suo „in terris Christus firmitatem in fide, constan„tiamque promiserit, dicens, ego orabo pro „Te, ne usquam deficiat fides tua: cum in„struendi, & confirmandi cæteros omnes ei„dem facultatem fecerit, ajens; Tu confirma „fratres tuos, cum sit ille fundamentum Ec„clesiæ, adversus quam Portæ inferi, idest im„pietatis, & flagitii genus omne nusquam prę„valebunt; dubium non est quin Ecclesiam „Christus instituerit instar Regni, in qua unus „cæteris imperet, CUM HIC UNUS, „QUISQUIS SIT, NUSQUAM PERNI„CIOSE LABI POSSIT; tunc maxime cum „ex officio res tractat Ecclesiæ, quæ vel ip„sam fidem attingunt, vel motum generalia „condit decreta; insuper hac potissimum ratio„ne unitas corporis mystici tantoperè (a) Apo„stolis, & Sanctis Patribus probata, commen„dataque servatur.

Oratio ad eamdem Synodum Generalem Tri-

(a) *Tom.* 14. *Labbè*.

Tridentinam habita per Reverendum Patrem Gasparem a Fosso Archiepiscopum Rheginum, in ejusdem Synodi principio die 18. Januarii ann. 1562. sub Pio Quarto, sic Apostolicæ Sedis palam prædicat infallibilitatem:

„Cum insuper Beati Petri, ejusque in Roma-„na, & Apostolica Sede Successorum auctorita-„tem, eminentiamque super cæteros omnes ab „ipsa Christi resurrectione indubitatam (Papæ) „acceperint, ad quos alii quivis gravia fidei du-„bia, & Ecclesiæ negotia tanquam ad Supremos „Doctores, & totius Dominici Gregis Pastores „Summos referebant &c. Et paulo inferius idem „sic: Unde quod dixit Christus, super hanc Pe-„tram ædificabo Ecclesiam meam, ita ad Chri-„stum, & ad fidem, quam Petrus confessus est, „fertur; ut nisi ad Petrum ipsum referri etiam „intelligas, diminutè credes, & prope nihil, „neque ubi sit Ecclesia, scies. Nam si per Pe-„tram, Christum solum, aut Petri fidem intel-„lexeris, quilibet Hæreticus penes se, & Chri-„stum, & fidem esse dicet: Si vero Petrum, & „Petri Successorem intelliges; nullus Schisma-„ticis, & hæreticis locus relinquetur. Confir-„mat B. Hieronymus ad Damasum Papam sic „scribens: Cum Successore Piscatoris, & Di-„scipulo Christi loquor, ego nullum alium, „nisi Christum sequens, Beatitudini Tuæ, idest „Cathedræ Petri communione consocior: Su-„per hanc Petram, ædificatam Ecclesiam scio: „qui extra hanc domum agnum comederit, „prophanus est: qui non fuerit in Arca Noe, „peribit regnante Diluvio.

Sua-

Suarez inclytæ Societatis Jesu, & Orbis Catholici clarissimum, & immortale lumen in tractatu de Fide dist. 20. sect. 3. num. 22. ait: „At vero tam de hac definitione (Bonifacii VIII. in Extravag. unam Sanctam de major.) „quàm de aliis decretis Pontificum ausus est „dictus Rogerus respondere, non esse de Fide „certum, Pontificem definientem sine Concilio Generali, non posse errare. Sed est responsio non solum nimis temeraria, sed etiam „erronea: nam licet olim fortasse aliqui Doctores Catholici sine pertinacia in hoc dubitaverint, vel erraverint; jam vero tam est „constans Ecclesiæ consensus, & Catholicorum Scriptorum concors de hac veritate sententia, ut eam in dubium revocare nullo modo liceat.

Idem Suarez tractat. de Fide, dist. 5. sect. 8. num. 4. inquit: „Nihilominus Veritas Catholica est Pontificem definientem ex Cathedra „esse regulam Fidei, quæ errare non potest, „quando aliquid authenticè proponit universæ Ecclesiæ tamquam de Fide divina credendum; ita docent hoc tempore omnes Catholici Doctores, & censeo esse rem de Fide „certam.

Capiti huic imponant coronidem unus antiquissimus, & multi, qui nostra ætate florent. Operæ itaque pretium est afferre in medium Relationem Possessoris Episcopi Afri per Justinum Diaconum Hormisdæ Papæ datam, quæ sic incipit: „Decet, & expedit ad Capitis re„currere medicamentum, quoties agitur de „sani-

„sanitate membrorum. Quis enim majorem „circa subjectos solicitudinem gerit, aut a quo „magis est nutantis Fidei stabilitas expectan- „da? quàm ab ejus Præside, cujus primus a „Christo Rector audivit: Tu es Petrus, & su- „per hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.

Anno MDCCXVIII. die 7. Octobris Excellentissimus, ac Reverendissimus Thomas Philippus de Alsatia de Boussu Archiepiscopus Mechliniensis Epistolam pastoralem ad universum Clerum, & Populum suæ Diœceseos misit, quæ quidem a convocatis legitimè, admodum Reverendis, ac venerabilibus Ecclesiæ suæ Metropolitanæ Canonicis Capitularibus comprobata propriis subscriptionibus fuit. In hac igitur Epistola errores Quesnelli a Summo Pontifice Clemente XI. proscriptos perhorrescit, hortaturque Gregem suum, ut eosdem errores execretur, mentisque obsequium supremo omnium Pastori Romano Pontifici exhibeat: „Cæ- „terum (inquit) mirari desiimus, eos vocibus „nostris non satis attendisse, qui summo Eccle- „siæ Pastori, & Doctori, PETRÆ ISTI, „QUAM NON VINCUNT SUPERBÆ IN- „FERORUM PORTÆ, obstrependi finem non „facerent &c., & inferius ita: Nihil hìc tergi- „versandum putavimus, dilecti filii, sed Bea- „tissimi Patris, AC UNIVERSALIS JUDI- „CIS, DE CUJUS JUDICIO DISCEPTA- „RE NEMO AUDEAT, voci promptissime „obsequentes, una cum ipso, immo, & ipsius- „met verbis, Vobis, quin & omnibus, qui „ubique terrarum catholico nomine glorian-

„tur

„tur, disertissime profitemur, & declaramus, nos „eos omnes, cujuscumque status, gradus, or„dinis, & conditionis illi sint, etiamsi Episco„pali, Archiepiscopali, aut alia qualibet etiam „Cardinalatus dignitate præfulgeant, qui me„moratæ constitutioni *Unigenitus*, debitam, & „omnimodam obedientiam præstare hactenus „recusarunt, aut in posterum recusare ausi „fuerint; Ut veros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ „filios non agnoscere, neque ut Summo Pon„tifici, & B. Petri Cathedræ, quod falso autu„mant, adhærentes, & consentientes, sed con„tra potius uti apertè inobedientes, ac notoriè „contumaces, & refractarios habere, tenere, „ac reputare.

Rursus idem sic: „Inconditum illum, & in „Ecclesia Catholica prorsus inusitatum, a Se„de Apostolica in rebus dogmaticis appellan„di modum (ad futurum nempe Generale Con„cilium) egregie confutatum, & penitus con„vulsum singulari in eam rem edito opusculo „pro ea parte a nobis approbato, luculenter „ostendimus &c.

Anno 1717. Nonius Sylvius Tellesius Conimbricensis Academiæ Rector una cum aliis 36. præclarissimis Doctoribus, atque Theologis Epistola ad summum Pontificem Clementem XI. sententiam totius Lusitaniæ ita aperuit:

Beatissime Pater.

„EA est apud Lusitanos erga Sedem Apo„stolicam reverentia, ut nulli eorum un„quam

„quam in mentem venerit vocare in contro-„versiam, quæ a Romano Pontifice univer-„sam Rempublicam Christianam docente, de-„clarata sunt: Hoc enim Regnum, quod a „suis incunabulis audire cœpit fide purum, & „pietate dilectum, probè novit ad Sapientissi-„mam Divini Numinis Providentiam pertine-„re, quod Christi Vicarii, S. Petri Successores „totum Orbem erudientes CIRCA RES FI-„DEI, ET MORUM, NEC FALLERE, „NEC FALLI POSSINT, PROMITTENTE „DOMINO, PETRI FIDEM NUNQUAM „FORE DEFECTURAM. Hac de causa cum „primum auditum est in Lusitania de Romano „Cælo tactum fuisse Apostolico fulmine opus „gallicè conscriptum, in plures tomos distri-„butum, cui titulus &c. percussasque præcipue „fuisse unam supra centum Theses volumini-„bus contentas, tanquam falsas, captiosas, „male sonantes, impias, ac hæresim ipsam sa-„pientes &c. Nihil omnes Lusitani Theologi „habuere antiquius, quàm ut immortales gra-„tias agerent Deo, scientiarum Domino, pro „mente divinitus injecta Sanctitati Vestræ, ut „proscriberet volumina, & propositiones, quæ „non sine magno privatæ, & publicæ salutis „detrimento sustineri poterant. In Lusitano-„rum animis altius infixum est, eos planè de-„sipere, qui contra Ecclesiam sibi videntur sa-„pere, EDITOQUE ORACULO UNI-„VERSALIS ECCLESIÆ MAGISTRI, „UNO ORE AFFIRMANT OMNES LUSI-„TANI NIHIL REPONENDUM ESSE

G PRÆ-

„PRÆTER PRISCUM ILLUD: IPSE DIXIT &c. Unde audita, & lecta sunt in Lusitania non solum cum summa obedientia, „sed etiam cum incredibili plausu Decreta, & „Constitutiones Sanctissimorum Pontificum „adversus errores, & hæreses Michaelis Baii, „Cornelii Jansenii, Michaelis de Molinos &c. „Nam simul ac primum sonuit in auribus Lusitanorum vox Summi Pastoris dirigentis in „pascua Paradisi omnes oves Christi, nemo „unquam repertus est, qui auderet contradicere Sermonibus Sancti: Sed omnes magis satagunt videri filii Sapientiæ, & Ecclesiæ justorum, quorum notio est obedientia, & dilectio, & (utpote qui sunt veri filii) audiunt „judicium Patris, scientes quod, nisi ita fecerint, salvi esse non possunt. Unde Lusitani „videntur obsequium erga Constitutiones Apostolicas cum lacte nutricum, Matrumve fuxisse; inter illarum reverentiam, & observantiam adolescunt, vivunt, consenescunt, & „ipsarum denique venerationi immoriuntur. „OMNES QUIPPE SCIUNT, TENENT, „ET FATENTUR SOLIUS SEDIS APOSTOLICÆ ESSE CITRA ERRORIS PERICULUM DOCERE OMNES GENTES: „OVIUM ESSE SEQUI PASTOREM, „QUIA SCIUNT VOCEM EIUS &c. Quod „enim Romanus Pontifex approbat, nemo improbare potest: quod improbat, nemo approbare valet: quapropter Summi Pontificis „leges NULLIUS INDIGENT SUFFRAGIO, NULLIUS EGENT APPROBATIONE,

„NE, UT OMNES OBLIGENT; NULLIUS
„IMPEDIRI POSSUNT INTERCESSIONE,
„NE SUAS IN UNIVERSUM POPULUM
„CHRISTIANUM VIRES EXERCEANT.
„Hæc siquidem est Romani Pontificis in Universam Rempublicam Christianam auctoritas, quam Lusitani omnes habent longè perspectissimam, & studiosissimè colunt, non tantum in Europa, sed in Asia, Africa, & America; quippe qui deferunt ad exteras eas gentes non solum Christi nomen, sed etiam illius Vicarii Pontificiam Majestatem, „POTESTATEMQUE SUMMAM AD DECERNENDUM DE REBUS FIDEI, ET „MORUM.

Res planè immensi operis foret, Catholicorum omnium de infallibilitate Papæ firmam sententiam, gravissimaque testimonia recitare. Satis tamen mihi facio, meque vehementer consolor, quod ea tutò sequor, ac sentio; quæ Sacrarum Literarum testimonia confirmant, Sanctorum veterum Patrum Chorus concinit, Pontificum decreta finiunt, Conciliorum Patres prædicant, Apostolorum traditio probat, perpetuus Ecclesiæ usus altius clamitat, quàm si tonitru personaret.

ROMANUS PONTIFEX UNIVERSALIS ECCLESIÆ SUPREMUS MAGISTER.

CAPUT XIV.

Gallicana Concilia Papam tanquam Universalem Magistrum consulunt.

QUod Oecumenica Florentina Synodus ore pleno prædicare non desinit; (*a*) illud sanè potissimum vetusta, perennisque consuetudo Catholicorum omnium comprobavit. Illa enim Romanum Pontificem CHRISTIANORUM OMNIUM MAGISRRUM profitetur, & colit; Chalcedonensis quoque Synodus eumdem BEATI (*b*) PETRI VOCIS INTERPRETEM agnoscit OMNIBUS CONSTITUTUM. Cuncti autem Orthodoxi, præsertim Galli Supremum Sedis Apostolicæ Magisterium implorarunt. Testis est Synodus Rothomagensis, in qua multa dubia exorta fuerunt. VI. dubium, seu difficultas ita habet: „Circa decretum de „Baptismo a Calvinistis collato dubitatum „fuit (*c*) an redeuntibus ad Ecclesiam taliter „baptizatis omnes ceremoniæ a Calvinistis o„mis-

(a) *in decreto Unionis*. (b) *Epistol. Synod. ad Leon. Pap.*
(c) *Labbè Tom.* 15.

„missæ, essent adhibendæ, & supplendæ. Ne-
„garunt plerique; alii sic &c. Conclusum tan-
„dem de hoc CONSULENDAM ESSE SE-
„DEM APOSTOLICAM, UT SOPIREN-
„TUR CONTENTIONES. Ad VI. difficul-
„tatem responsum fuit cęremonias baptismi
„supplendas esse praecedente in adultis abjura-
„tione hęresis, & reconciliatione.

Turonense Concilium *humili supplicatione* ita testatur: „A sua Sanctitate, (a) CUJUS JU-
„DICIO, ET CENSURÆ OMNIA IN PRÆ-
„SENTI CONCILIO SANCITA, ET DE-
„FINITA SUBIICIUNTUR, supplex Syno-
„dus quàm potest efflagitat obnixe, ut Epi-
„scopis Provinciæ, facultatem ab hæresi absol-
„vendi concedere dignetur.

Concilium Bituricense sic profitetur in fine; „Denique ea, qua debemus (b) humilitate, &
„obedientia, Sanctæ Sedis Apostolicæ omnium
„Ecclesiarum Matris, & Magistræ judicio, at-
„que auctoritati omnia, & singula quæcumque
„in hac provinciali Synodo sancita, decreta,
„actaque sunt, SEMPER EMENDANDA,
„ET CORRIGENDA SUBIICIMUS.

Aquensis Synodus ad Xistum V. Papam scribit anno 1585.: „Quæ in ea (Synodo) decre-
„ta confecimus, qua majori possumus reve-
„rentia, atque humilitate, mittimus ad Sancti-
„tatem Vestram, ejusque judicio, ac censuræ
„subiicimus, rogamusque (c) ut ea, sapientia
„sua meliora facere, atque Apostolica aucto-

 ri-

(a) Labbè Tom. 15. (b) Labbè Tom. 15.
(c) Labbè Tom. 15.

„ritate confirmare, & munire velit.

Concilium Narbonense ita: „Quæcumque „a nobis constituta sunt; qua debemus humi„litate, & obedientia possumus, Sanctissimi „Domini Nostri Papæ, & Sanctæ Romanæ Ec„clesiæ omnium Ecclesiarum Matri, & Magi„stræ subiicimus ab eadem PERPETUO „EMENDANDA, ET CORRIGENDA.

Burdigalense Concilium anno 1624. celebratum ait: „Hæc autem omnia, & singula „Concilii præsentis decreta, ut nostra omnia „Sanctissimo Domino Nostro Christi in terris „Vicario Universalis Ecclesiæ Moderatori Sum„mo CORRIGENDA, (a) EMENDANDA, „genibus in obedientiam flexis, submittimus.

Simon a Maillè Archiepiscopus Turonensis ann. 1583. ad Gregorium XIII. Papam has nomine totius Concilii Turonensis dedit literas: „Quandoquidem A TE UNO PENDEMUS „OMNES, qui nobis hic, ut membris tuis „Caput es, quem Christi Domini Nostri in „Terris agnoscimus, pieque veneramur Vica„rium, quidquid omnino elucubravimus, non „prius in lucem prodire patimur, quàm Sa„cratissimo Tuæ Sanctitatis illud obtulerimus „judicio, ut veluti ad lydium, vel Heraclium „potius lapidem, probatum, OMNIQUE RE„PURGATUM ERRORE, dignissimo tuæ vo„cis ORACULO fultum, certissimoque pru„dentissimi Tui consilii calculo comprobatum, „tutius in hominum manus exire possit &c.

„Ne-

(a) Labbè Tom. 15.

„Nemini igitur mirum esse videatur, si om-
„nes nostras (a) actiones ad Te unum Caput
„nostrum referimus; cum id Dei præcepto fa-
„ciamus, neque præstantius nostræ adversum
„Te obedientiæ specimen dare valeamus, Te
„inquam, Summum omnium Christianorum
„Moderatorem, quàm dum Te Consultore,
„non solum ab errore, & malis abstinemus ip-
„si, atque alios avocamus, sed ea etiam, quæ
„laudabilia sunt, sine Tua sententia, Teque
„inconsulto facere in Religionem vertimus.
„Habebit ergo Tua Sanctitas Tuorum humilli-
„morum Servorum Turonensis Provinciæ Pa-
„trum decreta e Tridentino tuo Oecumenico
„excerpta Concilio; Tuæ nunc erit Sanctitatis
„tuum hac in re adhibere judicium, tuamque
„dignissimam interponere auctoritatem, ut
„quæ tibi videbuntur recta, approbatione tua
„sancias; quæ secus, obliteres, expungas, &
„ab arcano Tuæ prudentiæ sacrario, sacratiora,
„& meliora facias, nosque obsequentissimos
„tibi ea doctrina, & eruditione imbuas, quam
„Tu θεοδίδακτος divinitus accepisti, & qua Tu
„ἱερὰ κεφαλὴ nobis tanto præluces, quanto cæte-
„ras stellas lumine Sol antecellit. Tuam super
„hac re sententiam, & si quid EMENDATIO-
„NIS a Tuæ Sanctitatis ORACULO profici-
„scetur, expectamus devotissimè. Nunc omnes
„nos Teste Deo adsumus, ut audiamus, & fa-
„ciamus omnia, quæcumque tibi a Deo præ-
„cepta sunt: a quibus illo juvante ne latum

(a) Labbè Tom. 15.

„quidem unguem fumus, unquam difceffuri.

Teftis eft Trecenfis Synodus omnium Galliæ Epifcoporum, qui Joannem VIII. Summum Pontificem alloquuntur in eamfententiam: „Judicium Veftræ auctoritatis, quod PRIVILE„GIO DIVI PETRI, ET SEDIS APOSTO„LICÆ, in eos, & complices eorum juxta Sa„cros Canones Spiritu Dei, & totius mundi „reverentia confervatos, ac fecundum Sacræ „Romanæ Ecclefiæ Prædecefforum Veftrorum „decreta, protuliftis, voto, voce, & unanimitate „noftra gladio Spiritus Sancti perfequimur &c.

Clerus Gallicanus in Comitiis Generalibus Epiftola ad Innocentium X. ita fcribit: „Sci„mus ubi Caput Ecclefiæ, ibi totius fidei ar„cem, totius & difciplinæ metropolim effe.

Concilium Aurelianenfe IV., anno 541. celebratum Canone I. de celebritate Pafquæ fic conftituit: „De qua Solemnitate quoties ali„quid dubitatur, inquifita, vel agnita per Me„tropolitanos a Sede Apoftolica, Sacra confti„tutio teneatur.

Epifcopi Gallicani anno 860. fic Nicolaum Primum Papam alloquebantur: „Apoftolicis „documentis, & Pontificalibus decretis multi„pliciter informamur, ut Veftri Sanctiffimi Apo„ftolatus apicem Principis Apoftolorum fide, „& nomine confecratum, quoties Sancta Ec„clefia aliqua novitate pulfatur, humiliter adea„mus, ibique veri confilii faluberrima inftituta „fynceriter hauriamus, (a) ubi mitis Magifter „Chri-

(a) *Tom. 3. Sirmund.*

„Christus, & Summum caput nostrum, fun„damentum Ecclesiæ posuit.

Concilium Pontigonense anno 876. celebratum, Canone I. sic statuit: „Ut honor Domi„no, & spirituali Patri nostro Joanni Octavo „Universali Papæ ab omnibus conservetur, & „quæ secundum sacrum suum Ministerium „Apostolica auctoritate decreverit, cum sum„ma veneratione ab omnibus suscipiantur, & „debita illis reverentia ab omnibus conserve„tur.

Gallicani Antistites anno 1714. ad Summum Pontificem Clementem XI. in eam scribunt sententiam: „Quod olim uni Antecessorum tuo„rum Pontifici excellentissimo scribebat unus „ex Antecessoribus nostris doctrina, & pieta„te conspicuus *polliceri se (a) secuturum de totius Galliæ devotione super statu fidei captare Sedis Apostolicæ sententiam*; idem nos ultro hodie Sancti„tati Vestræ pollicemur, ac renovamus (*b*) ob„sequium &c. In iis nos majorum nostrorum „exempla secuti, atque eodem, quo illi in „Apostolicam Sedem studio flagrantes, Sancti„tatis Vestræ postremam Constitutionem *Uni„genitus*, consimili obsequio, ac veneratione „amplexi sumus &c. Quid superest, Beatissime „Pater, nisi ut Domino, ac Deo nostro non „desinamus gratias agere, & pariter supplica„re; gratulantes quod tantæ Sanctitatis, tan„tæ fidei, tantæque Doctrinæ, Apostolicæ Sedi, „unde Religionis nostræ, propitio Christo, fons, „& ori-

(a) *S. Avitus Viennensis Epist. 87. ad Hormisd. Pap.*
(b) *Tom. XI. Harduini.*

„& origo manavit, Antistitem *CLEMENTEM* „dederit.

Gallicanis Conciliis Sancti Galliæ Patres accedunt: quorum primus Sanctus Cæsarius Episcopus Arelatensis prodeat. Hic enim libellum Symmaco Papæ obtulit: „Sicut (inquit) a Per„sona Beati Petri Apostoli (a) Episcopatus su„mit initium; ita necesse est ut disciplinis com„petentibus Sanctitas vestra singulis Ecclesiis „quid observare debeant, evidenter ostendat.

S. Avitus Viennensis Archiepiscopus duos Clericos Romam mittit nomine totius Provinciæ ob aliquos exortos errores, quo videlicet ab Hormisda Papa discat quid credendum, tenendumque sit; atque ita scribit ad Papam: „Quæsumus ergo ut quid filiis vestris, fratri„bus meis (b) Gallicanis, si consular, respon„dere debeamus, instruatis.

Anno DCCLV. moritur Sanctus Bonifacius Germaniæ Apostolus, & Martyr, qui certe quidem suopte illustri testimonio nobis ostendit quàm venerabunda universa Ecclesia, præsertim Gallicana Altæ Sedis Petri Magisterium ea tempestate recoleret. Sic enim refert: „Tanta „reverentia apicem Apostolicæ Sedis omnes „suscipiunt, ut Sanctorum Canonum discipli„nam, & antiquam Christianæ Religionis insti„tutionem MAGIS AB ORE PRÆCESSO„RIS EIUS, QUAM A SACRIS PAGINIS, „ET PATERNIS TRADITIONIBUS EX„PECTENT. Illius velle, illius nolle tantum „ex-

(a) *Labbè Tom. 4. Concil.* (b) *Tom. 4. Concil. Labbè.*

„explorant, ut ad ejus arbitrium suam conver-„sationem, & ipsi remittant, aut intendant.

Sex Galliarum Episcopi ad Innocentium II. Epistolam mittunt, cujus hæc est sententia: „Nulli dubium est, quod ea, quæ Apostolica „firmantur auctoritate, rata semper existunt, „nec alicujus deinceps mutari possunt cavilla-„tione, vel invidia depravari; propterea (a) ad „vestram Apostolicam Sedem Beatissime Pa-„ter, referre dignum censuimus &c.

Excellentiam Magisterii Romanæ Cathedræ Gallicani Antistites prædicant.

Anno MCXL. floruit venerabilis Petrus Cluniacensis, qui lib. 4. epist. 43. Innocentium II. alloquitur: „Spiritus Consilii, qui ubi vult, spi-„rat, per vos Ecclesiæ suæ per totum Orbem „diffusæ assiduè consulit.

Anno DCCCLII. floruit Servatus Lupus qui epistol. 103. ad Benedictum III. ita scribit. „In quibuscumque ad Religionem, vel hone-„statem spectantibus ambiguitatem creat va-„rietas, ut optima quæque eniteant, illic soli-„cita investigatione credimus recurrendum, „unde fidei ubique manavit exordium.

Alcuinus Caroli Magni Magister epistola 72. ad Leonem Papam inquit. „Ecce Tu Sanctis-„sime Pater, Pontifex a Deo electus, Vicarius „Apostolorum, hæres Patrum, PRINCEPS „ECCLESIÆ, UNIUS IMMACULATÆ „COLUMBÆ NUTRITOR; in Te Fides res-„plendet, Charitas abundat; Congrega nos „filios

(a) *Epist. extat inter Epistol. S. Bernard. 370.*

„filios Sanctæ Dei Ecclesiæ paternæ miseratio-
„nis affectu intra firmissimum Ecclesiasticæ So-
„liditatis ovile, ne aliquis ex nobis errabun-
„dus lupina rapacitate foris inveniatur devo-
„randus &c.

Petrus Damian. opusc. 5. sub finem: „Nos
„si quid erravimus, AD B. PETRI MAGI-
„STERIUM CORRIGENDI, suppliciter ac-
„cedimus, & retractationis opprobrium non
„veremur. Hæc est enim illa, ut ita loquar, of-
„ficina fabrilis; cui nimirum is, qui fabri di-
„cebatur filius, præsidet: ad cujus regulam om-
„nis merito reducitur, ad cujus rectitudinis li-
„neam quidquid uspiam depravatum fuerit,
„reformatur.

Carolus Magnus in Capitulis cap. 2. distinc.
19. ait: „Sic omnes Apostolicæ Sedis sanctio-
„nes accipiendæ sunt, tanquam ipsius Divini
„Petri voce firmatæ sint. Quapropter idem
gloriosus Imperator, cum errores novi orti la-
tius manarent, quæstionesque agitarentur, A-
postolicam Sedem ut infallibilem veritatis Ma-
gistram consuluit: „Ad Beatissimum (inquit)
„Apostolicæ Sedis Pontificem de hac nova in-
„ventione, nostræ devotionis ter, quaterque
„direximus missos, scire cupientes quid San-
„cta Romana Ecclesia edocta traditionibus, de
„hac respondere voluisset inquisitione.

Pelagius, qui ad Galliam pertinet, ad Da-
masum Papam scribit: „Hæc fides est Papa
„Beatissime, quam in Ecclesia Catholica didi-
„cimus, quamque semper tenuimus, & tene-
„mus. In qua si minus peritè, aut parum cau-
„tè

„tè aliquid forte positum est; emendari cupi„mus a Te, qui Petri & fidem, & sedem te„nes. Sin autem hæc nostra confessio Aposto„latus Tui judicio comprobatur, quicumque „me culpare voluerit, se imperitum, vel ma„levolum, vel etiam non Catholicum, non „me hæreticum comprobabit. Hanc autem E„pistolam non Hieronymi, sed Pelagii esse op„time (a) ostendit invictissimus Bellarminus.

S. Leo Magnus Epistol. ad Episcopos Provinciæ Viennensis ait: „Nobiscum itaque Vestra „Fraternitas recognoscat Apostolicam Sedem „pro sui reverentia, a Vestræ etiam Provinciæ „Sacerdotibus innumeris relationibus esse con„sultam, & per diversarum, quemadmodum „vetus consuetudo poscebat, appellationem „causarum, AUT RETRACTATA, AUT „CONFIRMATA FUISSE JUDICIA.

Arelatense demum Concilium ita ad Leonem Magnum Pontificem scribit: „APOSTO„LATUS VESTRI SCRIPTA ITA UT „SYMBOLUM FIDEI, quisquis Redemptio„nis Sacramenta non negligit, TABULIS „CORDIS ADSCRIPSIT, & tenaci quoad „consumendos errores paratior sit, memoriæ „commendavit.

CA-

(a) *De Scriptorib. Ecclesiast.*

CAPUT XV.

Alii etiam Patres qui ad Gallicanam Ecclesiam minime pertinent, Papam Universalem omnium Christianorum extra Generales quoque Synodos Magistrum agnoscunt, & ab eodem doceri, corrigi, & emendari petunt.

SAnctus Hieronymus Doctor Ecclesiæ Maximus Epistola ad Damasum Papam scribit: „Quāquam tui me terreat magnitudo, invitat tamen humanitas, a Sacerdote victimam salut s, a Pastore præsidium Ovis flagito &c. „Obtestor Beatitudinem Tuam per Crucifixum „mundi salutem, per homousion Trinitatem, „ut mihi Epistolis sive tacendarum, sive dicendarum Hypostaseon detur auctoritas.

Sanctus Cyprianus lib. p. epistol. 8. ad Cornelium Papam contra Hæreticos inquit: „Post „ista adhuc insuper Pseudoepiscopo sibi ab „Hæreticis constituto Romam navigare audent; „& ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam „Principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est; à Schismaticis, & profanis literas ferre, „nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides, Apostolo prædicante, laudata est, ad „quos perfidia habere non possit accessum.

Magnus Basilius Epist. 69. suo, & Coepiscoporum nomine ad Romanum Pontificem per Sabinianum Diaconum scribit, ut discat post exortas novas fidei quęstiones quid credendum, tenendumque sit: „Re vera (inquit) dignum „est illa suprema voce, quæ Te beatum prædicavit, quod Pietati Tuæ donatum a Domino est, scilicet ut quod adulterinum est, a „legitimo, & puro discernas, ac fidem puram „sine ulla subtractione prædices.

Rursus idem Sacer Doctor ad Papam sic scribit Epistol. 77. „Cum ad hunc modum habeant res nostræ, debebant continuò a Vestra Dilectione ex synceris fratribus aliqui „mitti, qui nos afflictos, & oppressos inviserent, & multo crebrius amicæ ad nos vestræ „destinari literæ; quibus vel in proposito CONFIRMAREMUR, vel siqua in re offendamus, corrigeremur &c. parati hac in re vestram institutionem amplecti.

Rursus idem Epistol. 52. ad Athanasium: „Visum est (inquit) consentaneum scribere ad „Episcopum Romanum, ut videat res nostras, „& judicii sui decretum interponat.

S. Cyrillus Alexandrinus Patriarcha in Thesauris ait: „Debemus nos utpote qui membra „sumus, Capiti nostro Pontifici Romano adhærere: ad nos pertinet inde quid credendum, quid tenendum sit, quærere. Quoniam „SOLIUS Pontificis est arguere, corrigere, increpare, ratum facere, disponere (a) solvere, „& ligare.

Gen-

(a) *apud D. Thom. opusc. 1. contra errores Græcor.*

Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus dictum illud Sancti Theodori Studitæ ad Pasqualem Papam: *Vos tranquillus portus Ecclesiæ Universæ*, ita exponit: „Intelligis quo pacto se„curum portum appellat totius Ecclesiæ Ro„manum Pontificem, ad quem ut Navigia ab „undis in medio Maris agitata, in portum per„fugiunt, ne foris relicta, a fluctibus, atque „æstu mergantur: sic & omnes Ecclesiæ ab Hæ„reticis tanquam a fluctibus vexatæ ad Roma„num Pontificem veluti ad portum salutis con„fugiunt, ubi tranquillitatem, & quietem om„nem nanciscantur. Nam eo loco fidei claves „Christus apud Petrum deposuit, ut Ecclesiam „totam pasceret, atque gubernaret, nec apud „illum tantum, sed etiam apud ejus Successo„res, ipse dicens, & Tu aliquando conversus „confirma fratres tuos, quæ quidem non soli „Petro contigerunt, sed & ejus Successoribus.

Justinianus Imperator inops consilii quid credere deberet, & an dicendum esset *unum de Trinitate fuisse crucifixum* (agitabatur enim tum vehementer in Oriente hujusmodi quæstio) ut infallibilem, & Universalem Magistrum Papam Hormisdam ita consuluit: „Quidam asse„runt Christum filium Dei Dominum nostrum „pro nostra salute carne crucifixum, unum „de Trinitate debere prædicari. Quod si susci„piendum sit, paterna provisione Reverentia „vestra cautissimo suo rescripto quid sequi, „quidve super hoc evitare debeamus, NOS „CERTIORARE dignetur. HOC ENIM „CREDIMUS ESSE CATHOLICUM,

„QUOD

„QUOD (a) VESTRO RELIGIOSO RES-
„PONSO NOBIS FUERIT INTIMATUM.

S. Epiphanius, hæresi 68. inquit: „Ursacius, „& Valens Episcopi pœnitentiam agentes una „cum libellis profecti sunt ad B. Julium Roma- „num Episcopum pro ratione reddenda de suo „errore, ac delicto.

S. Augustinus lib. 2. cap. 7. contra Pelagium, & Cælestium, hæc refert: „Cælestius, qui hæ- „resim Pelagianam propugnabat, non est ausus „Beati Papæ Innocentii literis obsistere, immo „se omnia, quæ Sedes illa damnaret, damna- „turum esse promisit.

Vicleffus ad Urbanum Papam Sextum has dedit literas: „Romanus Pontifex, cum Summus „Christi Vicarius in terris sit, fidem meam, si „sit orthodoxa, confirmabit, & si sit erronea, „emendabit.

Anthimus Patriarcha Constantinopolitanus (ut habetur in Synodo Constantinopolitana action. 4) „Fallacibus rationibus usus, promisit „se omnia facturum, quæcumque Summus „Pontifex Magnæ Sedis Apostolicæ decerne- „ret; & ad Sanctissimos Patriarchas scripsit se „sequi per omnia Sedem Apostolicam.

Extat in Concilio Chalcedonensi exemplum Relationis Archimandritarum, & aliorum Monachorum secundæ Syriæ ad Romanum Pontificem: „Quoniam (inquiunt) verè Christus „Deus noster PRINCIPEM PASTORUM, „ET DOCTOREM, & Medicum Animarum

H „con-

(a) *Tom. 2. part. 1. Binii.*

„constituit vos &c. Deprecamur ergo Beatissi-
„me, supplicantes, & rogantes, ut exurgatis
„cum fervore, & zelo, & condoleatis justè pro
„corpore laniato. Nam CAPUT ESTIS OM-
„NIUM, & vindicetis fidem contemptam,
„Canones conculcatos. Vobis a Deo data est
„potestas, & auctoritas ligandi, & solvendi.

Patres Taraconenses Papæ Hilario ita scribunt: „Ad fidem recurrimus Apostolico ore
„laudatam; inde responsa quærentes, unde
„nihil errore, nihil præsumptione, sed Ponti-
„ficali totum deliberatione præcipitur.

Egregiè demum, vereque Ephesina Synodus Oecumenica ita scripsit ad Cælestinum Papam: „Est vobis tam eximiis hoc in more
„positum, ut solicitudines vestras FIRMAMEN-
„TUM στήριγμα Ecclesiarum constituatis. Quo testimonio nihil planè illustrius.

CAPUT XVI.

Pontifex Romanus hæreses etiam absque Concilio Generali damnavit.

PLurimas hæreses Romanus Pontifex citra Concilium Oecumenicum damnavit, ac Fidei controversias pro re, ac tempore exortas definivit. Quamobrem jure quidem optimo, ac sapientissimo consilio Imperator Constantinus

Po-

Pogonatus Epiſtola ad Leonem Papam, eumdem ad Monothelitarum hæreſim proſcribendam ſic hortatur: „Sta firmus, accinctus verbi „gladio, pietatis Propugnator, CUJUS EST „omnem hæreticam doctrinam præcidere, ſicut „& Petrus olim judaici auditus ſenſorium gla„dio percutiens abſtulit, legalis, & ſervilis Sy„nagogæ præſignificans ſurditatem; extende „ſecurim ſpiritus, & omnem arborem feren„tem fructum hæreſeos vel inſtitutionibus tranſ„planta erudiendo, vel canonicis pœnis excin„de, & igni futuræ geennæ tranſmitte, ut præ„ciſis iis omnibus, quæ fidem labefactant, va„lens ſit, atque integrum Eccleſiæ (a) corpus „pace ſpiritus connexum, & coagmentatum.

Quamobrem Pontifex Romanus multas hæreſes extra Concilium Oecumenicum ſtatim ac damnavit; Univerſa illas Eccleſia perhorruit. Nam Pelagianam hæreſim extra Concilium Generale damnavit Innocentius I., de cujus peremptorio judicio ſic ſentit Magnus Auguſtinus: „Per (b) Papæ reſcriptum cauſa Pelagianorum „FINITA EST. Idipſum affirmat S. Proſper: „Tunc Pelagianorum machinæ fractæ, (c) quan„do beatæ memoriæ Innocentius nefandi erro„ris capita apoſtolico mucrone percuſſit.

Sancti Hilarius, & Proſper Romam petunt declaraturi Summo Pontifici mærorem Eccleſiæ Gallicanæ ob hæreſim Semipelagianam: Papa vero nequaquam Synodum Generalem cogit: ſed Epiſcopis Galliæ præſcribit quid in

(a) *in Sexta Synodo.* (b) *lib. 2. cap. 3. contra duas Epiſtol. Pelagian.* (c) *contra collatorem, & in chronico.*

hac fidei causa credendum sit: statimque Gallicana Ecclesia decreto Romani Pontificis obsequium mentis exhibet, & cogit Hæreticos Apostolico Papæ judicio cedere, præceptoque obtemperare. Epistola incipit: APOSTOLICI VERBA PRÆCEPTI SUNT.

Peremptoriam Papæ sententiam in definiendis fidei quæstionibus agnovit, coluit, venerataque est Universa Ecclesia, uti Sozomenus etiam memoriæ tradidit: „Qua de controver„sia (inquit) Romanus Pontifex certior factus „scripsit ad Ecclesias Orientis literas, ut (a) una „cum Sacerdotibus, & Episcopis Occidentis „Trinitatem, & Consubstantialem esse, & glo„ria æqualem existimarent. Quo facto, singuli „rebus ab Ecclesia Romana SEMEL JUDI„CATIS acquieverunt.

Cornelius Papa damnavit Novatum, (b) & Novatianum, ut Eusebius tradit. Tertullianum Hæresiarcham Zephirinus Papa damnavit Teste (c) Eusebio. Apollinarium, & Macedonium nulla coacta Synodo Generali Sanctus Damasus (d) damnavit. Hęresim Joviniani proscripsit (e) Syricius Teste Prospero. Errorés Berengarii de umbratica Eucharistia damnavit Leo IX., & Nicolaus II. Petri Abailardi hæreses Innocentius II. damnavit. Gilberti Pictaviensis Episcopi Hæreticæ propositiones ab Eugenio III. reprobatæ fuerunt. Baii errores Sanctus Pius V. damnavit.

Erro-

(a) *Lib. 6. cap. 22.* (b) *Lib. 6. Hist. cap. 33.*
(c) *Lib. 6. Histor. cap. 14.* (d) *testantur Gallicani Patres epist. ad Innoc. X.* (e) *Chronic.*

Errores Jansenii damnavit Innocentius X., cui quidem merito Gallicana Ecclesia ita plaudit: „Porro nos Innocentio X. cujus ore Pe„trus locutus est, ut Leoni I. acclamabat quar„ta Synodus, hanc divinam lauream gratula„ti, sacros inter Ecclesiæ fastos, quod olim de „Synodis Oecumenicis fieri solitum, *(a)* Con„stitutionem istam ab eo editam lubentes ex „animo reponemus.

Clemens denique XI. Summus Pontifex, 101. Quesnelli propositiones damnavit, Gallicana, cæterisque omnibus Ecclesiis summo suo Moderatori plaudentibus. Facultas enim Parisiensis Constitutionem *Unigenitus*, qua 101. Quesnelli Propositiones damnantur, sic laudat: „Hocce vero postremum decretum æternum „fore Sanctissimi Pontificis vigilantissimę solici„tudinis monumentum; quo nempe cernere „est *(b)* quanto amore, quanta cura supremus „ille Pastor Oves sibi a Christo, cujus Vicarius „est, commissas abducat a pascuis venenatis, „quanto lucis radio offusas puriori Doctrinæ, „nebulas discutiat, & dissipet: quàm provido, „& forti Consilio renascentia ex damnabili sti„pite virgulta disrumpat, ultimas evellat fibras, „& omnia elidat semina. Tum subdit: „Sem„per summa cum observantia, & sine ulla ex„ceptione nullave adiecta clausula receptas „fuisse a sacra Facultate Constitutiones Sum„morum Pontificum a Rege ad ipsam missas. „Constitutionem Summi Pontificis Clemen-

(a) *Epistol. Gallican. Præsul.* (b) *Tom. XI. Harduini.*

„tis XI. quæ incipit, *Unigenitus Dei filius*, sum„ma cum reverentia, atque obsequio recepit, „& amplexa est.

Hispalensis Ecclesia hasce ad Summum Pontificem Clementem XI. literas dedit: „Duplicem Sanctitatis Vestræ Constitutionem accepimus, utramque sapientia, prudentia, & integritate Apostolica dignissimam, alteram anno 1706. incipientem: *Vineam Domini sabbaoth*, „contra Jansenianorum cavillos, alteram sexto „Idus Septembris anni 1713. editam, cujus initium est, *Unigenitus Dei filius*, in qua S. V. Auctoris famosi (mala utique fama, ut olim dixit Augustinus) libros, & excerptas ex eis „captiosas Propositiones plures confixit. Utramque cæca fidei obedientia amplexati sumus tanquam Dei e Cælo pronunciantis „oracula, nullius examini obnoxia, nullius acceptationis indiga, non quasi assensu nostro „aliquid illis auctoritatis, aut roboris adderemus; sed ut obsequii Sanctitati Vestræ jure debiti, nobis gloriam possemus vindicare: „quod quidem vel usque ad sanguinis profusionem & omnes, & singuli maximo animi ardore, & verissima consensione Sanctitati Vestræ (a) præstandum elata voce in nostro Capitulo contestati sumus.

Nonius Sylvius Tellesius Conimbricensis Academiæ Rector, ejusdem Academiæ nomine anno 1717. ad Summum Pontificem Clementem XI. has dedit literas: „Universa Christia„no-

(a) *Ann. 1717. scripta.*

„norum Gens benè, ac non dubitanter agno-
„ſcit quàm aptè Dei Optimi Maximi divina
„Providentia Sanctitatem Tuam, ſingulari op-
„timarum artium Doctrina, maximiſque virtuti-
„bus ornatam, Reipublicæ Chriſtianæ procellis
„temporum turbulentiſſimorum jactatæ, guber-
„naculo tanquam ſcientiſſimum Magiſtrum ad-
„hibuerit. Scimus, ac miramur etiam, quanta
„cura, ac labore facis, Sanctiſſime Pater, ut
„Te regente Sancti Petri navem, nemo non
„modo naufragium formidet, ſed ne ullam
„quidem a recto curſu declinationem timeat;
„attamen cum quandoque non poſſit non of-
„fendere in non nullos ſcopulos, quos devita-
„re Sanctitas Tua curat incredibili vigilantia,
„ſumma Sapientia, ac mirabili invicti animi
„conſtantia; ideo Academia Conimbricenſis
„totius Luſitaniæ nunc, ſemperque florentiſſi-
„ma, Sanctitati Tuæ, quomodo licet, tan-
„quam ejus pedes verecunde oſculatura, ſe ſe
„offert, quod ſe agnoſcit filiam obſervantiſſi-
„mam, ſemperque fideliſſimam, & quæ una
„cum Luſitania tota ſemper veros Sanctæ Ro-
„manæ Eccleſiæ Paſtores, ſemper Summorum
„Pontificum præcepta, ac placita ſumma cum
„reverentia, atque unanimi omnium partium
„conſenſu coluit, ſervavit, iiſque obtempera-
„vit. Quapropter Conſtitutionis, *Unigenitus*, ob-
„ſervantiam eodem modo, quo Sanctitas Tua
„vult, docet, ac imperat, defendere privatim,
„ac publicè jurejurando ſe adſtringit.

Mihi verò nequaquam in animo eſt quot-
quot errores Summi Pontifices abſque Conci-

lio Generali damnaverint, recensere; quominus legentibus negotium facessam; cum potius perspectum satis, compertumque sit paucissimas hæreses ab Oecumenicis Conciliis fuisse proscriptas; si Magno credis Augustino, qui Pelagianos jam ab Innocentio I. damnatos, quod Concilium Generale poscerent, vehementer coarguit. „An vero (inquit) Congre„gatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies „damnaretur, (a) quasi nulla hæresis aliquan„do sine Synodi Congregatione damnata sit, „cum potius RARISSIMÆ inveniantur, pro„pter quas damnandas talis necessitas extite„rit? addit deinde Augustinus post sufficiens factum llis judicium, *conterendos, non amplius audiendos esse*. „Cum potius (inquit) Vigilantia, „& diligentia pastorali post factum illis com„petens, sufficiensque judicium, ubicumque „isti Lupi apparuerint, conterendi sint.

(a) *Lib. 4. contra duas Epistol. Pelagian.*

LIBER SECUNDUS

CAPUT I.

Gallia prædicat Papam Superiorem Oecumenico Concilio.

IN Concilio Florentino Episcopus Meldensis nomine Regis Christianissimi, & Gallicanæ Ecclesiæ, supremam potestatem in uno supposito, nempe Romano Pontifice consistere professus est, & qui eam in Synodo Oecumenica collocant, vesanos esse, & Catholicam unitatem labefactare. Quamquam enim Galli ipsi aliquandiu contra Eugenium Papam Concilio adhæserant; ubi tamen veritatem edocti sunt, & intellexerunt, dum ambitioni, privatisque studiis Basileenses student, Ecclesiam maximum capere detrimentum; non solum Eugenium Papam propugnavere, sed palam professi sunt Concilii Oecumenici auctoritatem infra Papalem esse; sic enim Episcopus Meldensis Princeps legationis a Carolo VII. Rege Francorum ad Eugenium missæ, sui Regis Gallorumque nomine inter alia locutus est: „Nimio „fervore resistendi, AD HANC VESANIAM „DEVENERUNT (Basileenses) QUOD SU„PREMAM POTESTATEM IN UNO SUP„POSITO CONSISTERE DENEGANT,

„SED

„SED EAM IN MULTITUDINE, QUÆ „CITO IN DIVERSA SCINDITUR, COL- „LOCANT, & sic pulcherrimam MONAR- „CHIAM Ecclesiæ, quæ Christianos hucusque „tenuit in unitate Fidei, in una professione „Religionis Christianæ, in uno ritu Sacramen- „torum, in una observantia mandatorum, „in eisdem cæremoniis divini cultus, atque „pacem, & tranquillitatem asseruit; nunc abo- „lere, & supprimere contendunt, nobilissimam „Politiam, quæ Beatitudinem cælestem habet „pro fine, ad Democratiam, vel Aristocratiam „redigentes, & ulterius in malis procedendo, „unum sibi in Capite assumpserunt, qui non „eis præfertur, & sic Schisma factum est, ne- „dum in obedientia Capitis, sed & in Doctri- „na Evangelii, quod omnibus Christicolis est „abominandum. Et hoc animadvertens præfa- „tus Christianissimus Rex Franciæ vehementi „dolore ingemiscit, & condolens Ecclesiæ, re- „media ubique perquirit, ac denique consul- „to Prælatorum, & aliorum multorum Sapien- „tium Regni sui, videtur sibi, quod nullum „est aptius remedium ad hoc Schisma extirpan- „dum, quàm evellere, aut disperdere duas „prædictas extremitates; ad quod faciendum „necceslarium est Generale Concilium. Porro „Concilium (a) olim Basileense unam extremi- „tatem nimis exacuit, quando veritatem de „suprema potestate in uno extinguere perten- „tavit. Concilium autem Florentinum hanc „ve-

(a) *Raynald. ad An. MCDXLI. num. 10. & Guaguin. in Carol. VII.*

„veritatem bene quidem lucidavit, ut patet „in Decreto Græcorum, sed pro regulando „usum hujus potestatis nihil edidit, nihilque „locutum est.

Galliarum itaque Rex, & Gallicana Ecclesia luculenter, palamque prædicant supremam potestatem non in Generali Concilio, uti Basileenses contendebant, sed in *uno supposito*, Romano Pontifice *consistere*; agnovit ergo Gallia Romanum Pontificem auctoritate Synodis Oecumenicis præstare.

Inter Theses Lovanii propositas die 9. Octobris 1638. Præside Doctore Rampea, hæc edita fuit: „Tanta verò Pontificis hujus ex divi„na dignatione est auctoritas, ut in contro„versiis Fidei, & morum determinandis ex Ca„thedra (a) Judex sit numeris omnibus abso„lutus; licet Oecumenicum Concilium non ac„cedat: QUOD INFRA PONTIFICEM ES„SE, NON E CONVERSO FIDEI PRO„XIMUM CENSEMUS.

Cum Doctor ab Angelis, qui postea Episcopus Ruremundensis fuit; anno 1640. Præses esset Academiæ Lovaniensi; hæc proposita fuere: „Romanus Pontifex est Supremus Judex „in controversiis Fidei, & quæstionibus mo„rum: nunquam cum aliquo errore deprehen„ditur cum Concilio Generali; IMMO DE„FINITIONES IPSIUS EX CATHEDRA „LOQUENTIS SINE CONCILIO GENE„RALI EDITÆ, SUNT INFALLIBIBIS

„VE-

(a) *Vide Patritium Duffium in Theologia Bajojanseniana, & Cardinal. de Aguirre disp. 19. sect. 7. Cathed. Petri.*

„VERITATIS: CONCILIA QUANTUMVIS „GENERALIA ABSQUE CONFIRMA- „TIONE, ET APPROBATIONE PONTI- „FICIS ERRARE POSSUNT; cum appro- „batione (a) ipsius non possunt etiam particu- „laria.

Romanus Pontifex etiam sine Concilio Generali in definiendis ex Cathedra quæstionibus Fidei tanquam Doctor publicus nequit errare; Concilia vero licet Oecumenica sine Romani Pontificis confirmatione errare possunt, Ergo Papa ut Doctor publicus magisterio doctrinæ Synodos Oecumenicas antecellit.

Anno 1534. Facultas Parisiensis notam Lutheranorum Germanorum articulis inurens, definit in eam sententiam: „Firmiter tenendum „est Hierarchiam Ecclesiasticam, quam poli- „tiam Ecclesiæ non nulli vocant, non solum „sanctam esse (b) & utilem, sed etiam jure Di- „vino institutam, quæ usque ad consumma- „tionem sæculi perduratura est, nec in huma- „na situm esse potestate illam instituere, aut „destituere, cujus quidem Hierarchiæ Ecclesia- „sticæ EODEM JURE DIVINO MONAR- „CHICA POTESTAS EST PAPALIS; cui „quilibet fidelium subesse dignoscitur, cui sub- „dita dignitas Episcopalis adjungitur.

Potestas Papalis est jure Divino Monarchica: ergo superior Concilio Generali: nam si esset æqualis Concilio Generali, nec Papa, nec Concilium esset Monarcha, si inferior Concilio

(a) *Ibidem.* (b) *Ibidem.*

lio Generali; non Papa, sed Concilium Oecumenicum Monarchia perfrueretur.

Hoc loco afferre libet notam gravissimam a Facultate Theologiæ Parisiensis, Propositionibus Antonii de Dominis Archiepiscopi Spalatensis inustam. Hic enim lib. 1. cap. 12. ait sic: „Doctrina in articulis Joannis Hus contenta, „nimirum in Ecclesia non dari UNUM Caput „Supremum, ET MONARCHAM, præter „Christum; Christum suam Ecclesiam per multos ministros, SINE UNO isto MONARCHA MORTALI regere perfectè, & gubernare, est Doctrina Catholica a Sanctis Patribus egregiè explicata, & confirmata.

Nota a Facultate Parisiensi inusta.

„Hæc (a) propositio est hæretica quoad singulas partes.

Mauclerus Doctor Sorbonicus in suo opere de Monarchia, 4. part., lib. 8. cap. 6. hunc præfigit titulum: „Quæ fuerit Catholica Facultatis Parisiensis de supremo, MONARCHICOQUE Romani Pontificis super omnem Christi Domini Ecclesiam principatu confessio, „ejusque in IPSUM MONARCHAM Universalis Ecclesiæ, Patrem omnium fidelium Sanctissimum Pietas, obedentia, & honor.

Cum Papæ Principatus super omnem Christi Domini Ecclesiam supremus sit, ac MONARCHICUS; fatendum profecto est Papæ Concilia Oecumenica subesse.

His

(a) *Bail Doctor Parisiensis in Summ. Concil.*

His accedit graviſſimum teſtimonium Eccleſiæ Hiſpalenſis, quæ Literis ad Summum Pontificem Clementem XI. datis inter cætera ſic ſentit, ſcribit, ac plena voce prædicat: „Scimus (inquit) etiam clamante in media Galliæ luce Sancto Bernardo, Eugenium Romanum Pontificem, ac proinde quemlibet Petri ſucceſſorem legitimum, (a) NON SOLUM OVIUM, SED ET PASTORUM UNUM ESSE PASTOREM. Id nimirum eſt, quod planè edixit Chriſtus Dominus, cum Beato Petro non modo agnos tradidit paſcendos, nempe fideles, ſed etiam oves, ideſt Epiſcopos, ET QUIDEM INDISCRIMINATIM OMNES, SIVE EÆ CONJUNCTÆ SINT, ſive ſeparatæ, explicantibus eodem Bernardo, & Lugdunenſi Eucherio.

E ſententia Hiſpalenſis Eccleſiæ Chriſtus Dominus Petro, ejuſdemque Succeſſori Romano Pontifici tradidit paſcendos *Epiſcopos omnes indiſcriminatim, ſive CONJUNCTI SINT, ſive ſeparati*. Ergo Papa non ſolum paſcit omnes Epiſcopos, cum ſunt ſeparati ſinguli in ſuis Diœceſibus, ſed etiam cum ſunt conjuncti in Synodo Generali; atque adeo Synodo Oecumenica poteſtate præſtat.

Rurſus eadem Eccleſia Hiſpalenſis paulo inferius vehementer coarguit eos, qui Supremam Auctoritatem non Papæ, ſed Generali Synodo tribuere audent; coarguit, inquam, in eam ſententiam: „Quis non vel riſu, vel in„di-

(a) *Lib. 2. de conſid. cap. 8. Bernard.*

„dignatione potius excipiendum putaret eum, „qui Pastorem ab ovibus corrigendum effuti„ret? extra ovile esse oportet (in quo præter „oves, & agnos nihil est) qui Pastori non „subijcitur, aut per summam injuriam ovibus „(QUÆCUMQUE, & QUANTÆCUMQUE „ILLÆ SINT) supremum imperium AUDET „ATTRIBUERE &c. Ipso quippe rationis lu„mine notum videtur, non Pastori Gregem „quamuis nnmerosum, & lectissimum leges da„re debere, sed Gregi Pastorem; nec liberum „ovibus est ab illius decretis resilire, cui nolle „primas (a) dare, vel summæ profecto impie„tatis est, vel præcipitis arrogantiæ, ex S. Au„gustini sententia. Sane nostrum nón est eam „in reclamantes intorquere censuram, quam „circa nascentis hujus erroris tempora scri„pto edidit Sanctitate æquè, ac doctrina cla„rus Præsul Sanctus Antoninus, cum ajebat: „nec ad Concilium Generale (b) A PAPA „APPELLARI POTEST, QUIA PAPA OM„NI CONCILIO SUPERIOR EST; nec ro„bur habet quidquid agitur, nisi auctoritate „Romani Pontificis roboretur, & confirmetur. „Sentire ergo quod ad Concilium a Papa ap„pellari possit, est hæreticum, & contra illum „articulum, *Sanctam Ecclesiam Catholicam*.

Sacra Facultas Theologica Conimbricensis frequentissima, & doctissima in excolenda, venerandaque Constitutione Apostolica, quæ incipit: *Unigenitus Dei filius &c.* a Summo Ponti-

fice

(a) *Aug. de utilit. credendi.* (b) *part. 3. cap. 3. tit. 23.*

fice Clemente XI. edita inter cætera anno 1717. hoc etiam decretum promulgavit: „Romanum „Pontificem etiam EXTRA CONCILIUM, „SUPRA QUOD EST, de re dogmatica, si„ve de rebus ad fidem, & mores pertinenti„bus, e Cathedra docentem Universæ Ecclesiæ „fideles, habere assistentiam infallibilem Spi„ritus Sancti, proindeque nec decipi, nec de„cipere posse.

CAPUT II.

Sanctorum Patrum, qui ad Ecclesiam Gallicanam pertinent, constans Sententia.

SAnctus Thomas Aquinas de Generali Concilio verba faciens quæst. 10. de Potentia artic. 4. ad 13. ait: „Sicut autem poste„rior Synodus potestatem habet „interpretandi Symbolum a „priore Synodo conditum, ac ponendi aliqua „ad ejus explanationem, ut ex prædictis patet, „ita etiam Romanus Pontifex hoc sua auctori„tate potest; cujus auctoritate sola, Synodus „congregari potest, & a quo sententia Syno„di confirmatur, ET AD IPSUM A SYNO„DO APPELLATUR: quæ omnia patent ex „gestis Chalcedonensis Synodi.

A minori profecto Judice ad majorem pro-

vo-

vocari certi juris est; cum autem hic facer Doctor testetur a Generali Synodo ad Romanum Pontificem appellari; satis perspectum est Romanum Pontificem potestate Synodos Oecumenicas antecellere.

Rursus idem Doctor Angelicus lib. 4. contra Gentes cap. 76. hoc modo ratiocinatur: „Sic „igitur in uno Spirituali Populo UNIUS Ec„clesiæ requiritur UNUS Episcopus, qui sit „totius populi CAPUT; ita in toto populo „Christiano requiritur quod UNUS sit totius „Ecclesiæ CAPUT. Item ad Unitatem Eccle„siæ requiritur quod omnes fideles in fide con„veniant. Circa verò ea, quæ fidei sunt, con„tingit, quæstiones moveri; per diversitatem „autem sententiarum divideretur Ecclesia, ni„si in unitate PER UNIUS SENTENTIAM „conservaretur. Exigitur ergo ad Unitatem Ec„clesiæ conservandam, quod sit UNUS, QUI „TOTI ECCLESIÆ PRÆSIT. Manifestum est „autem quod Christus Ecclesiæ in necessariis „non deficit, quam dilexit, & pro ea Sangui„nem suum fudit, cum & de Synagoga dica„tur per Dominum: quid ultra debui facere „vineæ meæ, & non feci? Non est igitur dubi„tandum, quin EX ORDINATIONE CHRI„STI UNUS TOTI ECCLESIÆ PRÆSIT. „Adhuc nulli dubium esse debet quin Eccle„siæ Regimen optimè sit ordinatum, utpote „per eum dispositum, per quem Reges regnant, „& legum conditores justa decernunt; opti„mum autem regimen multitudinis est ut rega„tur per UNUM: quod patet ex fine regimi-

„nis; qui eſt pax. Pax enim, & unitas ſubdito„rum eſt finis regentis. Unitatis autem con„gruentior cauſa eſt UNUS, quàm multi. „Manifeſtum eſt igitur Regimen Eccleſiæ ſic „eſſe diſpoſitum, UT UNUS TOTI ECCLE„SIÆ PRÆSIT. Amplius, Eccleſia militans ex „triumphanti Eccleſia per ſimilitudinem deri„vatur: Unde, & Joannes in Apocalypſ. vidit „Jeruſalem deſcendentem de Cælo; &, Moyſi „dictum eſt, quod faceret omnia ſecundum „exemplar ei in monte monſtratum. In trium„phante autem Eccleſia UNUS præſidet, qui „etiam præſidet in toto Univerſo, ſcilicet „Deus. Dicitur enim Apocal. 21. ipſi Populus „ejus erunt, & ipſe cum eis erit eorum Deus. „Ergo in Eccleſia militante UNUS EST, QUI „PRÆSIDET UNIVERSIS. Hinc eſt quod „Oſeæ 1. dicitur: Congregabuntur filii Juda, „& filii Iſrael pariter, & ponent ſibi Caput „unum, & Dominus dicit Joan. 10. fiet UNUM „Ovile, & UNUS Paſtor. Si quis autem dicat „quod unum Caput, & unus Paſtor eſt Chri„ſtus, qui eſt unus unius Eccleſiæ Sponſus; „non ſufficienter reſpondit. Manifeſtum eſt „enim, quod Eccleſiaſtica Sacramenta ipſe „Chriſtus perficit. Ipſe enim eſt, qui baptizat. „Ipſe eſt, qui peccata remittit: Ipſe eſt verus „Sacerdos, qui ſe obtulit in ara Crucis, & cujus „virtute, Corpus ejus quotidie in altari conſe„cratur: & tamen quia corporaliter non cum „omnibus fidelibus præſentialiter erat futurus, „elegit Miniſtros, per quos prædicta fidelibus „diſpenſaret, ut ſupradictum eſt. Eadem igi-

tur

„tur ratione, quia præsentiam corporalem erat „Ecclesiæ subtracturus, oportuit ut ALICUI „COMMITTERET, QUI LOCO SUI UNI-„VERSALIS ECCLESIÆ GERERET CU-„RAM. Hinc est, quod Petro dixit ante Ascen-„sionem: Pasce oves meas, Joann. ultim., & „ante Passionem: Tu iterum conversus confir-„ma fratres tuos, Luc. 22., & EI SOLI pro-„misit: Tibi dabo claves Regni Cælorum, ut „ostenderetur potestas clavium per eum ad „alios derivanda ad conservandam Ecclesiæ „unitatem &c. Per hoc autem excluditur quo-„rumdam præsumptuosus error, qui subduce-„re nituntur ab obedientia, & subjectione Pe-„tri, Successorem ejus Romanum Pontificem „universalis Ecclesiæ Pastorem non recogno-„scentes.

Doctor Angelicus hoc loco multis, justissimisque de causis Monarchicam potestatem, ut legentibus patet, non Concilio Oecumenico, sed soli Papæ tribuit. Ergo ex sententia hujus Sacri Doctoris Romanus Pontifex auctoritate Synodos Oecumenicas antecellit.

B. Augustinus Triumphus lib. de Potest. Ecclesiast. quæst. 6. art. 1. inquit: „SOLUS PA-„PA DICITUR ESSE VICARIUS DEI, „quia solum, quod ligatur, vel solvitur per „eum; habetur solutum, & ligatum per ipsum „Deum; sententia igitur Papæ, & sententia „Dei una sententia est: sicut una sententia „Papæ, & Auditoris ejus. Cum igitur appella-„tio semper fiat a minore Judice ad superio-„rem; sicut nullus est major se ipso, ita nulla

„appellatio tenet facta a Papa ad Deum. Nul„lus potest appellare a Papa ad Deum: sicut „nullus potest intrare ad Consistorium Dei, nisi „mediante Papa, qui est æternæ Vitæ Consisto„rii Claviger, & Ostiarius. Et sicut nullus po„test appellare ad se ipsum: ita nullus potest „appellare a Papa ad Deum: quia una senten„tia est, & una Curia Dei, & Papæ.

Ex hoc Vicarii titulo manifestè deducam necesse est majorem esse Papæ, quàm Generalis Concilii auctoritatem, & nullo modo Papam Concilio Oecumenico, sed Synodum Generalem Papæ subesse. Vicarius enim Regis, & Episcopi, cum idem tribunal quod Rex, & Episcopus habeat; a nullo Principe, ac Episcopo inferiori judicari potest, ne a Comitiis quidem Regni, aut Provinciæ, cui titulo Vicarii, aut Proregis præest. Neque enim unquam est auditum, eum qui aliquo in Regno, vel provincia vices sui Principis, vel Regis agit, a Regni Optimatibus, vel Comitiis universalibus judicatum fuisse, nec posse, nisi ipsa Regia Majestate, id tentari. Cum ergo Papa *solus* Vicarius Dei in Ecclesia militante, non autem ipsum Concilium Generale sit; fatendum profecto est Concilium Generale subiici Dei Vicario, qui solus est Romanus Pontifex ab Universa Ecclesia semper agnitus.

Beatus Albertus Magnus in 4. sent. dist. 19. art. 10. „Ad aliud, inquit respondens argumen„to, seu objectioni tertiæ; dicendum QUOD „LOCO CHRISTI IN TERRIS NON EST, „NISI UNUS PAPA, & ille potest facere in

„om-

„omnibus, sed alii in partem solicitudinis vo-„cati sunt, & ideo non licet eis extendere „jurisdictionem ultra quam permissum est eis.

E sententia Beati Alberti LOCO CHRISTI IN TERRIS NON EST, NISI UNUS PAPA. Ergo non Concilium Oecumenicum. Ergo Papa est Oecumenico Concilio superior.

Sanctus Bonaventura Doctor Seraphicus opusculo, *quare Fratres Minores Prædicent, & confessiones audiant*, inquit: „Dominus Jesus „Christus omnium Creator, & Gubernator, „Sanctam Ecclesiam suam, ascensurus in Cæ-„lum, Apostolis regendam, & dilatandam, „commendavit, principaliter Beato Petro Apo-„stolo, cui de Universo Grege fidelium spe-„cialiter dixit tertio; Pasce oves meas. Sed ut „ordinatius gubernaretur universalis Ecclesia, „distinxerunt eam Sancti Apostoli per Patriar-„chatus, primatus, Archiepiscopatus, Episco-„patus, Parochias, & alias canonicas distin-„ctiones; ut, quia per unum, vel per paucos „non poterat singulis fidelium in omnibus sa-„luti necessariis congrue satisfieri; plures ad „hujus solicitudinis partes per determinatos si-„bi limites pro utilitate animarum vocarentur. „Et secundum Curæ Pastoralis amplitudinem, „etiam quilibet istorum accepit certam aucto-„ritatis potestatem, RESIDENTE PLENI-„TUDINE POTESTATIS ECCLESIÆ „APUD SEDEM APOSTOLICAM Roma-„næ Ecclesiæ, cui Apostolus Petrus Princeps „Apostolorum specialiter præsedit, & Succes-„soribus suis ibidem eamdem potestatem tri-

 „buit.

„buit. Triplex est autem hujus potestatis plenitudo, scilicet quod ipse SUMMUS PONTIFEX SOLUS HABET TOTAM PLENITUDINEM AUCTORITATIS, quam Christus Ecclesiæ contulit, & quod UBIQUE IN OMNIBUS ECCLESIIS HABET ILLAM, SICUT IN SUA SPECIALI SEDE ROMANA, & quod ab ipso manat in omnes inferiores per universam Ecclesiam OMNIS AUCTORITAS, prout singulis competit ei participari, sicut in Cælo ab ipso fonte totius boni Christo Jesu omnis gloria Sanctorum, licet eam, differentes singuli participent pro captu suo.

Ex sententia Doctoris Seraphici Summus Pontifex SOLUS HABET TOTAM PLENITUDINEM AUCTORITATIS; ergo non Concilium Oecumenicum. Ergo Papa auctoritate Synodos Oecumenicas antecellit.

Sanctus Bernardus lib. 3. de consideratione capite 2. Papam ita alloquitur: „Appellatur de toto Mundo ad Te, id quidem in testimonium SINGULARIS PRIMATUS TUI.

Hoc plane loco Sanctus Bernardus loquitur de primatu auctoritatis: Sin autem Papa Generali Synodo subiiceretur; non ille profecto, sed Concilium singulari potestatis primatu frueretur: Si Concilio Generali par esset: jam sine controversia prærogativa *Singularis primatus*, quem in Romano Pontifice Bernardus prædicat, interiret. Sequatur ergo necesse est e Bernardi sententia Papam Conciliis Oecumenicis antecedere singulari auctoritatis primatu.

Rur-

Rursus idem Sacer Doctor epistol. 213. ad Papam ita scribit: „Quis mihi faciet justitiam „de vobis? si haberem judicem, ad quem vos „trahere possem, jam nunc ostenderem vobis „(ut parturiens loquor) quid meremini. Ex„tat quidem tribunal Christi, sed absit, ut ad „illud appellem vos, qui illic, si vobis necessa„rium, & mihi possibile esset, vellem magis „totis viribus stare, & respondere pro vobis. „Itaque recurro ad eum, CUI IN PRÆSEN„TI DATUM EST JUDICARE DE UNI„VERSIS, hoc est ad Vos. Vos appello ad „vos: Vos judicate inter me, & vos.

Datum est Papæ judicare de Universis: ergo etiam de Conciliis Oecumenicis.

Rursus idem Sacer Doctor lib. 3. de consideratione cap. 7. clarissimè omnibus etiam Synodis Oecumenicis anteferendum Papam statuit. „Tu (inquit ad Papam) es, cui claves „traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt quidem „& alii Cæli Janitores, & Gregum Pastores, „sed Tu tanto gloriosius, quanto & differen„tius utrumque præ cæteris nomen hæreditasti. „Habent illi sibi assignatos Greges, singuli sin„gulos, tibi universi crediti, uni unus. Nec „modo Ovium, sed & Pastorum Tu UNUS „omnium Pastor. Unde id probem quæris? èx „verbo Domini: cui enim non dico Episcopo„rum, sed etiam Apostolorum sic absolutè, „& indiscretè totæ commissæ sunt oves? me „amas Petre, Pasce oves meas. Quas? Illius, „vel illius populos Civitatis, aut Regionis, aut „certi Regni? Oves meas, inquit; cui non

„planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? nihil excipitur, ubi distinguitur nihil. Et fortè præsentes cæteri Condiscipuli erant, cum committens UNI, unitatem omnibus commendaret in uno Grege, & UNO Pastore, secundum illud: Una est Columba mea, formosa mea, perfecta mea. Ubi unitas, ibi perfectio. Reliqui numeri perfectionem non habent, sed divisionem, recedentes ab unitate: inde est quod alii singuli singulas sortiti sunt plebes, scientes Sacramentum. Denique Jacobus, qui videbatur Columna Ecclesiæ, una contentus est Hierosolyma, Petro universitatem cedens. Pulchrè verò ibi positus est suscitare semen defuncti fratris, ubi occisus est ille: nam dictus est frater Domini. Porro cedente Domini fratre, quis se alter ingerat Petri prærogativæ? Ergo juxta Canones tuos alii in partem solicitudinis, Tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus, tua extenditur & in ipsos, qui potestatem super alios acceperunt. Nonne, si causa extiterit. Tu Episcopo Cælum claudere, Tu ipsum ab Episcopatu deponere etiam, & tradere Satanæ potes? Stat ergo inconcussum privilegium tuum tibi tam in datis clavibus, quàm in ovibus commendatis. Accipe aliud, quod nihilominus prærogativam confirmat tibi. Discipuli navigabant, & Dominus apparebat in litore: quodque jucundum erat, in corpore redivivo. Sciens Petrus, quia Dominus est, in mare se misit, & sic

„venit ad ipsum, aliis navigio pervenientibus.
„Quid istud? nempe signum singularis Ponti-
„ficii Petri, per quod non navem unam, ut
„cæteri quique suam, sed sæculum ipsum su-
„sceperit gubernandum. Mare enim sæculum
est: naves, Ecclesiæ. Inde est, quod altera vi-
„ce instar Domini gradies super aquas, UNI-
„CUM se Christi Vicarium designavit, qui
„non uni populo, sed cunctis præesse deberet.
„Siquidem aquæ multæ, populi multi. Ita
„cum quisque cæterorum habeat suam, tibi
„una commissa est grandissima Navis facta ex
„omnibus ipsa Universalis Ecclesia toto Orbe
„diffusa.

Episcopi etiam ut collecti in Synodo Oecumenica sive sint oves, sive Pastores; Papa, e Bernardi sententia, *nec modo ovium, sed & Pastorum unus omnium Pastor est*.

Rursus idem epistola 238. ad Eugenium Papam ita scribit: „Peremptoriam dare senten-
„tiam ad depositionem Episcoporum, SOLIUS
„Romani Pontificis noscitur esse; pro eo nimi-
„rum, quod, & si alii multi vocati sint in par-
„tem solicitudinis, SOLUS IPSE PLENITU-
„DINEM HABEAT POTESTATIS.

Solus Papa habet plenitudinem potestatis; ergo non Concilium Generale. Ergo Papa potestate Synodo Oecumenicæ antecellit.

Sanctus Eucherius Lugdunensis sermone in vigilia Petri ita: „Dicit Dominus Petro, pasce
„oves meas, prius agnos, deinde oves com-
„misit ei, quia non solum Pastorem, sed Pa-
„storem populorum constituit, Pascit igitur Pe-
„trus

„trus agnos, pascit & filios, pascit & matres, „regit & subditos, & Prælatos. Omnium igi-„tur Pastor est, quia præter agnos, & oves in „Ecclesia nihil est.

Idem profecto de Romano Pontifice Beati Petri successore dicamus necesse est: Quibus fundamentis jactis, Episcopi etiam ut collecti in Synodo Oecumenica sive sint agni, sive sint oves; *cum præter agnos, & oves in Ecclesia nihil est*, omnes a Papa tanquam Pastore reguntur, ut sentit Eucherius; atque ob eam causam Generali Synodo Papa superior est.

Sanctus Ivo Carnotensis part 5. decreti, cap. 9. ait: „Romanam Sedem DE TOTA EC-„CLESIA JUDICARE; ipsam verò ad NUL-„LIUS COMMEARE JUDICIUM.

Romana Sedes de Tota Ecclesia judicat; ergo etiam de Synodo Generali, quæ non est major tota Ecclesia.

Et capit. 40. dicit: „Beati Petri Sedem CA-„PUT ESSE OMNIUM ECCLESIARUM, „& omnes decretis ejus assentire debere.

Beati Petri Sedes Caput est omnium Ecclesiarum; ergo etiam Generalium Conciliorum, quæ omnes Ecclesias repræsentant. Atque adeo Papæ decretis vel ipsæ Generales Synodi assentire debent.

CA-

CAPUT III.

Aliorum quoque illustrium Gallorum clara Sententia.

IAnsenius Iprensis Episcopus verba illa Matth. cap. 16. *Et ego dico tibi;* sic explicat: „Tu „homo me filium Dei dixisti, „ego filius Dei tibi rependo „vicem, ac vicissim dico, NON „OMNIBUS, SED TIBI SOLI, non casso ser„mone, sed quem effectus sequetur, quia tu „es Petrus, ideſt quod tu, sicut olim a me vo„catus es, verissimè non nomine solo, sed re „ipsa es Petra, saxum, seu rupes.

Et infra sic: „Cum ergo prandissent, dicit „Simoni Petro Jesus, nempe illi tamquam par„ticulari personæ, quam propterea Evangeli„sta, & nomine gentilitio, & alio per Christum „imposito conjunctim vocat Simonem Petrum. „Christus vero adhuc distinctius addit nomen „Patris, dicendo Simon Joannis, (supple) fi„li, quod prorsus idem est cum eo, quod „Matth. cap. 16. dixit: Simon Bar-jona, pro „Joanna, idest fili Joannis. Unde, & hoc loco „Syriacè est BAR-JONA. TOT CAUTIO„NIBUS Christus nos MUNIRE voluit, NE, „ut hæretici fingunt, OMNIBUS DISCIPU„LIS COMMUNE esse putaremus id, QUOD „HIC PETRO tribuit. Porro nomine actus, „designat potestatem, PASCE, idest pasto-

„rem

„rem age, ficuti dicimus, rege provinciam „iftam; Id eft fis Rector, aut gubernator ejus. „Pafcere autem non eft folum cibum præbere, „feu docere; fed præeffe, præire, tueri, com„pefcere, caftigare, hoc eft regere, quod græ„ca voce ποιμανεῖν aperte fignificatur, & ita ver„titur Matth. 2. qui regat populum meum If„rael, & Pfal. 2. & Apocalypf. 19. Ipfe reget „eos in virga ferrea. Unde & Auguftinus: „Chriftus oves pafcendas, hoc eft docendas, „regendafque committit &c. Itaque per agnos „bis repetitos fignificantur duo populi Judai„cus, & Gentilis: per oves vero Epifcopi, & „Paftores, tanquam matres agnorum: vel com„modius, agni primo loco fignificant fimplices „fideles: oviculæ fecundo loco veluti minores „Paftores; oves vero Epifcopos. Quod autem „non dicit PASCE HAS, AUT ILLAS „OVES, fed abfolutè, & indifcretè meas; u„niverfas intelligit; omnes videlicet, quæ quo„quo modo dicuntur meæ, ut notat Bernar„dus 2. de Confider. cap. 8. Cui non planum, „(inquit) non defignaffe aliquas, fed affignaf„fe omnes? nihil excipitur, ubi diftinguitur „nihil. Itaque illud pafce agnos, & oves meas, „idem eft ac fi diceret, fis Paftor univerfi gre„gis, feu ovilis mei, hoc eft totius Ecclefiæ „meæ tam filiorum, quam Patrum; tam fide„lium, QUAM OMNIUM PASTORUM, feu „EPISCOPORUM. (a) Quod officium cum fit „ordinarium, ac tandiu neceffarium, quam erit

(a) *Comment. in Evang. fec. Joan. cap. 21. in Tetrateucho.*

„erit ovile: profecto iisdem istis verbis eam-„dem potestatem omnibus Petri legitimis Suc-„cessoribus tribuit.

Thomas ab Argentina Præceptor Theologiæ in Academia Parisiensi circa annum 1445. in 4. sentent. dist. 24. art. 4. sic scripsit: „Ratione „officii super Presbyteralem dignitatem inve-„niuntur in Ecclesia quinque gradus singularis „dignitatis, quorum primum tenent Episcopi, „secundum Archiepiscopi, tertium Primates, „quartum Patriarchæ, quintum Papa, sive Ro-„manus Pontifex, A QUO TOTA MONAR-„CHIA FIDELIUM TANQUAM AB UNO „PRINCIPE UNIVERSALEM, ET CUM „HOC IMMEDIATAM HABENTE POTE-„STATEM SUPER OMNES, ET SINGU-„LOS FIDELES, cujuscumque conditionis „existant, convenientissime GUBERNATUR.

Audi Joannem Gersonium Tractatu de statibus Ecclesiasticis titul. *de Statu Prælatorum*, considerat. 13. „Status (inquit) Episcopalis ha-„bet rationabiliter MONARCHAM SUPRE-„MUM, SCILICET PAPAM RATIONE „UNITATIS FIDEI, ET SACRAMENTO-„RUM.

Itaque ex mente Thomæ ab Argentina, & Gersonii, ita expressa: Papa status Episcopalis Monarcha est, & quidem Supremus ratione unitatis Fidei, & Sacramentorum.

Ergo Papa non est Generali Concilio inferior; alioquin illud, non autem Papa esset MONARCHA. Neque est æqualis Concilio Generali, cum binos Monarchas nec Ecclesia,

nec

nec Monarchiæ conditio, ac natura ferat: Ergo est auctoritate Concilio Generali superior.

Perspicua sunt Gersonii verba modo relata. Siquis vero dubitaverit an ea fuerit Gersonii mens hoc in loco, quia contrariam alibi indicat; hæc contradictio, si sibi Gersonius contradixit, tribuenda est ejus in Pontificiæ potestatis, tempore acerbissimi Schismatis, abusus, commotioni; meam autem responsionem auctoritate insignis Andreæ Duvallii Doctoris Sorbonici, & in Academia Parisiensi Regii Theologiæ Professoris confirmo; qui part 2. quæst. 1. „scio quidem (ait) in re Pontificia Alliacen„sem, Gersonium, & Almainum non esse tan„tæ auctoritatis, quia tempore Schismatum „floruerunt, & scripserunt: duo priores, quan„do tres se pro Pontificibus gerebant: postre„mus vero, nempe Almainus tempore Julii II., „& Conciliabuli Turonensis, quo Gallia sub „Ludovico XII. a Sede Apostolica defecerat.

Quare vera sententia Gersonii ea censenda est, quam sedato animo, antequam Schisma in Dei Ecclesiam seviret, ita clarè aperuit, ut nihil supra.

Rursus idem Joannes Gersonius Cancellarius Parisiensis in Tract. de Vita Spirituali Animæ, lect. 3. posteaquam Summi Pontificis auctoritatem supremam his verbis expressit; „Habet itaque Papa primo DOMINIUM „SUPERIORITATIS a Christo supra totam „ECCLESIAM cum plenitudine potestatis in „eis, quæ spirituale regimen Ecclesiæ propriè „dictum respiciunt; hoc modo resumit: Prima „po-

„potestas cognoscitur ex Evangeliis, & Acti-
„bus Apostolorum, & ex iis, quæ per succes-
„sivam relationem eorum ad nos tanta certi-
„tudine sunt devoluta, ut merito temerarius,
„& scandalosus, imo Schismaticus judicetur,
„qui potestatem hanc, vel abolere, vel dimi-
„nuere præsumpserit &c. sed textus Evangeli-
„cus, & Conciliorum Generalium determina-
„tio, & Ecclesiæ Universalis Consensus tan-
„tus, & assertio, imo & ratio naturalis præ-
„supposita fide pro hac superioritate tam apte
„faciunt, ut contra eum, qui se pro catholi-
„co gerit, negantem hoc, magis sit destitu-
„tione, quàm disputatione certandum. Hæc
„potestas tam immediatè a Deo collata est, ut
„tota Ecclesia illam neque destruere, neque
„noviter, si tolleretur, ædificare VALERET.

Eamdem tradit Doctrinam lection. 2. ubi Summi Pontificis primatum his verbis exprimit: „In tertio gradu reponentur leges Divinæ im-
„mediatè à Christo traditæ, aut ab eis dicto
„modo deductæ, quæ per successivam relatio-
„nem Apostolorum, & aliorum ad nos æqui-
„valentem Scripturæ Canonicæ notificatæ sunt,
„ut est ista lex: UNIVERSALIS ECCLE-
„SIA PONTIFICI ROMANO SUBJECTA
„SIT &c. Quod sit lex purè divina patet, quia
„nisi sic; posset humana traditione primatus
„iste cassari:

Perpendenda sunt hæc verba: *Universalis Ecclesia Romano. Pontifici subjecta sit:* atque adeo etiam universale Concilium, quod universalem repræsentat Ecclesiam, & universali Ec-

cle-

clesia non est majus, Papæ subiicitur.

Quidquid autem Gersonius effutiverat tempore Schismatis Monarchicæ potestati Papæ injuriosum; retractavit plane post Concilium Constantiense absolutum, & post cognitum Martini V. Papæ decretum de non appellando a Romana Sede suprema: tunc enim verò Gersonius Tractatum scripsit (a) „Quomodo, & „an liceat in causis fidei a Summo Pontifice „appellare, seu ejus judicium declinare.

Sententiam suam ita clarè aperit, ut nihil supra:

„Quæritur (inquit) utrum hæc assertio sit „Catholica, tam jure divinitus promulgato, „quàm etiam humano, quibus sacrorum cano„num auctoritas innititur: *Nulli fas est a supremo Judice videlicet Apostolica Sede, seu Romano Pontifice Jesu Christi Vicario in terris appellare, aut illius judicium in causis fidei (quæ tanquam majores ad ipsum, & Sedem Apostolicam deferendæ sunt) declinare.* „Arguitur quod sic, auctoritate Sanctis„simi Domini Martini Papæ V. in sua Constitu„tione ad perpetuam rei memoriam facta, & „promulgata in Consistorio Generali celebra„ta Constantiæ 6. Idus Martii, Pontificatus sui „anno primo, ubi reperitur hæc assertio, sicut „dicitur, & videtur in canonum litera fundari.

Quamquam verò Gersonius postea subdit varia argumenta, sequelas, & propositiones contra præcedentem suam responsionem: tamen de his omnibus in fine dicit: „Hæc autem „di-

(a) Tom. 1.

„dicta, vel argumentata sunt magis ad veritatis „inquisitionem, quàm ad alicujus (præsertim „Sanctissimi Domini Martini Papæ) reprehen„sionem; attento quod Constitutio sua, quan„tum ad illa, quæ fundantur in facto, non „jacet sub Theologica reprehensione.

Post decretum Martini V. de suprema Romanæ Sedis auctoritate latum Gersonius non audebat contra Pontificem loqui. Nam in suo Dialogo, cujus Personæ *Volucer*, & *Monicus*, „Nolo, inquit, Monice, de Sanctissimo Domi„no Nostro, & Christo Domini, velut os in „Cælum ponendo loqui.

Anno DCCC. sub Leone Tertio Papa, & Carolo Magno Romæ omnium Italiæ, & Franciæ Episcoporum Synodus fuit, maxima utriusque Nationis Optimatum frequentia, ut Anastasius in vita Leonis testatur. In hac igitur cum innocentissimus Leo III. accusaretur; omnium Antistitum oborta fuit hæc exclamatio:

„Nos Sedem Apostolicam, QUÆ EST CA„PUT OMNIUM DEI ECCLESIARUM, „judicare non audemus; nam ab ipsa nos om„nes, & Vicario suo judicamur, ipsa autem a „nemine judicatur, quemadmodum antiquitus „mos fuit: sed sicut ipse Summus Pontifex „consuevit, jubeat; canonicè obediemus.

Sedem Apostolicam frequens hæc Synodus *Caput omnium Dei Ecclesiarum* plena voce prædicat. Ergo Sedes Apostolica est caput etiam Oecumenicorum Conciliorum, quæ Universalem Ecclesiam repræsentant.

Durandus Episcopus, & insignis Theologus

sic habet: „Potestas (a) quæ data est Uni in suo „fonte, non est in aliis, nisi derivata, & limita„ta pro illius voluntate; sed potestas jurisdi„ctionis, quæ est ad Regendum Populum to„ta, & in suo fonte data fuit SOLI PETRO, „ET SUCCESSORIBUS EJUS; quando Ec„clesia ipsi fuit commissa, dicente Domino Joan„nis ultimo, pasce oves meas; hoc enim „NULLI aliorum Apostolorum dictum est, nec „tunc, nec ante, nec post. Ergo talem pote„statem plenam, & perfectam HABET SOLUS „SUCCESSOR PETRI: Ergo non Concilium Generale, ideoque Papæ subjicitur. Et paulo inferius idem Doctor sic: „Ergo in tota Ec„clesia debet esse unus universalis Rector, a „quo descendat auctoritas regendi in medios, „usque ad Rectores infimos, & hic est Papa, „& propter hoc stat Unitas Ecclesiæ, quod „omnia membra sunt sub UNO CAPITE; „qua de causa illi, qui hanc potestatem ne„gant, Schismatici dicuntur, quasi unitatis Ec„clesiæ divisores.

Dionysius Carthusianus in 4. dist. 25. quæstion. 1. citat in hanc rem duos celeberrimos Doctores Parisienses Petrum Paludanum, & Aliacensem: „Sciendum (inquit) quod pleni„tudo, & vertex Ecclesiasticæ Potestatis, quæ „IN SOLO Papa est subjectivè, tria complecti„tur, ut ex diversis Doctoribus colligitur, præ„sertim ex Scripturis B. Petri de Palude, ac „B. Petri de Aliaco, primum est Sacerdotium,

,,& in

(a) *in 4. distic. 24. quest. 5. num. 5.*

„& in hoc cæteris Sacerdotibus est æqualis; secundum, potestas Episcopalis, quæ est de genere qualitatis, & in hoc æqualis est Episcopis cæteris, tertium, EST JURISDICTIO SUMMA UNIVERSALIS, QUÆ UNIVERSIS EST ALTIOR, & hoc est relatio, quæ nec manet in Papa, quando desinit esse Papa per liberam cessionem, aut alio modo, alia verò duo manent in eo.

Petrus de Aliaco Cardinalis, & Episcopus Cameracensis Gersonis Magister tract., 3. Part, cap. 1. affirmat Romanum Pontificem esse Caput triplicis Ecclesiæ, primò, & principaliter Ecclesiæ Universalis, ex illo: *pasce oves meas*; quod non de illis, vel his particulariter dictum est, sed de omnibus generaliter; deinde esse Caput Ecclesiæ particularis, scilicet Romanæ, tertiò, ESSE CAPUT CONCILII GENERALIS, quod videlicet Ecclesiam repræsentat, respectu cujus tamen ipsum est quoddam Ecclesiæ particularis, sumens veritatem ab auctoritate Summi Pontificis; & Concluſ. 2. dicit: „Plenitudo jurisdictionis propriè loquendo SOLUM residet in Summo Pontifice Petro succedente, quia propriè aliqua potestas plenè dicitur esse in aliquo, quia illam potest generaliter exercere, & ministerialiter dispensare. Hæc autem est in SOLO PAPA, ET NON PROPRIE' IN ALIQUA COMMUNITATE, quia secundum Philosophum actiones sunt suppositorum.

Summam potestatem hic Auctor denegat Concilio Generali, cum *soli* Papæ tribuat.

Cardinalis Aliacensis Auditor Joannis Gersonis lib. de Potestate Eccles. consid. 10. „Potestas Ecclesiastica, inquit, est formaliter, & „subjectivè IN SOLO ROMANO PONTIFICE &c. tandem ex his præcedentibus possumus describendo dicere, quòd plenitudo „Potestatis Ecclesiasticæ est potestas ordinis, & „jurisdictionis, quæ a Christo collata est supernaturaliter Petro, sicut Vicario suo ; & „MONARCHÆ, primo pro se, & Successoribus legitimis usque in finem sæculi ad ædificationem Ecclesiæ militantis, pro consecutione felicitatis æternæ.

Et in epilogo ejusdem tractatus consid. 2. inquit: „Plenitudo potestatis Ecclesiasticæ sic „propriè sumpta non potest esse de lege ordinata, nisi in UNICO Summo Pontifice formaliter, & subjectivè ; alioquin Ecclesiasticum Regimen non esset MONARCHICUM, „& habere posset multiplex Caput ex æquo, „quod apertè est hæreticum.

Et Tractatu de auferibilitate Papæ consid. 8. inquit: „Auferibilis est, aut mutabilis lege „stante qualibet Politia Civilis Monarchica, „seu regalis, ut fiat aristocratica ; & non sic „de Ecclesia, quæ in UNO MONARCHA „Supremo per universum fundata est a Christo &c. Idem de statibus Ecclesiasticis, cap. de statu Papali Considerat. 1. „Status Papalis „institutus est a Christo supernaturaliter, & „immediatè tanquam primatum habens MONARCHICUM, ET REGALEM in Ecclesiastica Hierarchia, secundum quem statum

„UNI-

„UNICUM, & SUPREMUM Ecclesia mili-„tans dicitur una sub Christo.

CAPUT IV.

Sanctorum Patrum, qui ad Galliam non spectant, Sententia.

SAnctus Antoninus Archiepiscopus Florentinus in summa.tit. 23. cap. 3. inter cætera sic ait: „SED „NEC AD CONCILIUM „GENERALE A PAPA AP-„PELLARI POTEST: QUIA „PAPA OMNI CONCILIO SUPERIOR „EST; nec robur habet quidquid agitur, nisi „auctoritate Romani Pontificis, & roboretur, „& confirmetur. Sentire ergo quod ad Conci-„lium a Papa appellari possit, est hæreticum, „& contra illum articulum: *Sanctam Ecclesiam* „*Catholicam*. Ex quinto privilegio patet idem „sic: quicumque sentit quod a Papa possit ad „alium appellari, sentit quod Romanus Ponti-„fex possit ab alio judicari: sed hoc est con-„tra privilegium Romanæ Ecclesiæ: ergo talis „sic sentiens privilegium Romanæ Ecclesiæ au-„ferre conatur. Item hoc sentire, est sentire „quod Papa habeat superiorem, & quod sit „aliquis eo major: quod est dicere Romanum „Pontificem non esse unum caput, & univer-

„ſale: & per conſequens ſentit contra Eccleſiæ „unitatem.

Beatus Joannes à Capiſtrano libro de Papæ, & Concilii auctoritate part. 3., ubi plurima Sacræ Scripturæ, ſanctorumque Patrum in medium protulit clariſſima teſtimonia ad oſtendendum Romanum Pontificem auctoritate Synodis Oecumenicis antecellere; concludit in eam ſententiam: „Patet igitur expreſſiſſimè, „Papam ſupra Concilium, & non Concilium „ſupra Papam juriſdictionem plenariam in „omnibus obtinere, & CONCILIUM QUAN„TUMLIBET OECUMENICUM, ET UNI„VERSALE, PAPÆ SUBIICI, ET OBEDI„RE TENERI, a quo ſalus omnium fidelium „poſt Chriſtum pendet.

S. Hieronymus Eccleſiæ Doctor Maximus, Dialogo Orthodoxi contra Luciferianos ita pronunciat: „Eccleſiæ ſalus in Summi Sacer„dotis dignitate pendet, cui ſi non exors quę„dam & ab hominibus, eminens detur pote„ſtas; tot in Eccleſiis efficientur Schiſmata, „quot Sacerdotes.

Ergo niſi Romano Pontifici, ſed Concilio Generali eminens iſthæc poteſtas daretur; tot in Eccleſiam Schiſmata graſſarentur, totque eſſent Sententiæ, quot capita. Quis enim Patres Concilii diſcrepantes auctoritate ſua poſſet compeſcere, & contumaces in officio continere; Si Papa vel parem, vel minorem, & non majorem, quàm Concilium Oecumenicum, poteſtatem haberet?

S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, & cla-

rissimum Orientalis Ecclesiæ lumen in libro Thesaurorum ait: „Sicut Christus accepit a Pa„tre duplex sceptrum Ecclesiæ Gentium, & „Israel, egrediens super omnem principatum, „& potestatem, & super omne quodcumque „est, ut ei cuncta curventur: plenissimam po„testatem SIC ET PETRO, ET EIUS SUC„CESSORIBUS PLENISSIME' COMMISIT „&c. ET NULLI ALII, quàm Petro Chri„stus quod suum est, plenum, (a) SED IPSI „SOLI dedit: ergo non cæteris Apostolis, neque Concilio Generali, sed Petro, & Petri Successori Romano Pontifici dedit; quem particula, *soli*, non excludit; cum idem Sacer Doctor in præcedenti ejusdem orationis membro plenissimam potestatem Petro, & Successori Petri esse a Christo Domino traditam prædicaverit.

Beatus Laurentius Justinianus inclytæ Urbis Venetiarum Patriarcha, qui circa medium Sæculum XV. floruit, sanctitate, doctrina, & miraculis clarus; libro de obedientia cap. 12. potestatem supremam Sedis Apostolicæ in omnem Ecclesiam claré ostendit in eam sententiam: „Hujus siquidem Apostolicæ Sedis arcem, hu„jusque Catholicæ Ecclesiæ MONARCHIAM „Apostolus Petrus primus accepit, quando Dei „filium esse Dominum nostrum Jesum Chri„stum confessus est &c. Hanc Petro datam Po„testatem quotquot post illum electi canonicè „in ipsa resederunt, sortiti sunt, qui respectu

(a) *Apud D. Thom. opusculo contra errores Græcorum.*

„cæterorum summi sunt nuncupati Pontifices.
„Istis utique tanquam Christi Vicariis totius Ec-
„clesiæ est attributa facultas conferendi videli-
„cet beneficia, peccata solvendi, præstandi
„gratias, Ecclesiæ Spirituales thesauros divi-
„dendi, instituendi per Civitates Episcopos, &
„per provincias Metropolitas ordinandi, con-
„gregandi Concilia, decreta faciendi, infringen-
„di, atque modificandi. Ipsis profectò Summis
„Pontificibus omnis deferendus est honor, sin-
„gularis reverentia, obedientia summa. Quid-
„quid indixerint, peragendum, quidquid pro-
„hibuerint cavendum, pro lege suscipiendum
„est. Cæteri Præsules certis deputati sunt præ-
„esse in locis. Istis vero universalis Ecclesiæ
„incumbit Regimen.

Cum autem hic Sacer Doctor affirmet Petrum Ecclesiæ *Monarchiam* accepisse, conjungatque statim, *& hanc potestatem Successores Petri sortitos esse*; intelligit sanè non meri honoris, sed & honoris, & potestatis *Monarchiam* Romanum Pontificem sortitum esse: quæ quidem monarchica potestas, cum Papæ congruat; nequit Generali Synodo convenire.

CA-

CAPUT V.

Conciliorum Generalium Sententia.

ANno MCLXXIX. Concilium Lateranense auctoritate Alexandri Tertii Summi Pontificis celebratum fuit, cui 300. Episcopi interfuerunt. Causæ vero convocatæ Synodi plures, justissimæque fuerunt: extirpatio videlicet Schismatum, ordinatio electionis Summorum Pontificum, ac præsertim proscriptio Catharorum, Publicanorum, aliorumque, qui partim hæresi, partim grassationibus Ecclesiam vastare pergebant.

In hac igitur Synodo pro Summi Pontificis auctoritate facit cap. p. de modo eligendi Romanum Pontificem; quod habetur Tom. 4. Conciliorum, & in C. *licet extra de elect.* ubi sic: „Ex hoc tamen nullum canonicis constitu„tionibus præjudicium generatur, in quibus „majoris, & sanioris partis debet sententia præ„valere; quia quod in eis dubium venerit, su„perioris poterit judicio definiri. In Romana „vero Ecclesia aliquid speciale constituitur, „QUIA NON POTEST RECURSUS AD „SUPERIOREM HABERI.

Nequaquam igitur Synodus Oecumenica est supra Papam, cum hic ex sententia Patrum superiorem non habeat: Sed nec habet æqualem in Ecclesia; alioquin non unum caput visibile,

sed

sed plura capita forent Ecclesiæ; quod certè quidem unitati Ecclesiæ, mentique Christi Domini refragatur, qui unum Caput universalis Ecclesiæ, & unius ovilis sui unum Pastorem Petrum, ejusdemque successorem Romanum Pontificem constituit. Igitur Papa est Occumenica Synodo superior potestate.

Concilium Occumenicum Florentinum in decreto unionis Græcorum circa finem: „Definimus (inquit) Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum „orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem „Romanum successorem esse B. Petri Principis „Apostolorum, & verum Christi Vicarium, „totiusque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem, & Magistrum existere, & „ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi Universalem Ecclesiam a Domino „Nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse.

Hęc Generalis Synodus palam prædicat non ab hominibus, non ab Imperatoribus, non a Conciliis Oecumenicis, „sed a Christo Domino pascendi, regendi, & gubernandi Universalem Ecclesiam Romano Pontifici plenam „esse traditam potestatem.

Quo quidem loco operæ pretium est animadvertere non dici *omnes Ecclesias particulares*, *sed Ecclesiam Universalem*, hoc est etiam *in unum collectam*; hæc enim propriè vocatur *Ecclesia universalis*.

Nec enim in Florentina, nec in alia Synodo Generali legitima dictum est aliquando:

Con:

Concilium succedit Petro, Concilium habet Vicariam potestatem pascendi Universalem Ecclesiam, vel Concilium Oecumenicum est Caput Universalis Ecclesiæ; sicuti dictum est de Romano Pontifice.

Quamobrem mirum profecto est velle nos Conciliis tribuere, quæ nullum legitimum Concilium ausit sibimetipsi arrogare. Præterea Romanus Pontifex juxta hujus Concilii sententiam est Caput totius Ecclesiæ. Ergo etiam Concilii Oecumenici, quod non est majus ipsa Universali Ecclesia.

Concilium Generale Constantiese damnavit sessione 15. septimum errorem VVicleffi, qui est hujusmodi: „Petrus non fuit, nec est Ca„put Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ; & errorem 27. „Non est scintilla apparentiæ quod oporteat „esse UNUM caput in Spiritualibus regens Ec„clesiam, quod semper cum ipsa militanti Ec„clesia conversetur, & conservetur.

Cum autem Papa certus e sententia hujus Synodi damnantis 7., & 27. propositionem VVicleffi, solus est Caput visibile in Spiritualibus regens Ecclesiam militantem, cujus quidem non caput, sed membra sunt etiam Synodi Generales: fateamur necesse est ipsarum quoque Caput esse Romanum Pontificem.

Præterea in Bulla Martini V. eodem sacro approbante Concilio facta, quæ habetur session. ultim., inter alias propositiones, quę suspectum aliquem hæresis Hussiticæ faciunt, etiam hæc ponitur, & hæc præscribitur interrogatio: „Utrum credat quod Papa canonicè electus,

qui

„qui pro tempore fuerit, sit Successor Beati
„Petri, habens supremam potestatem in Eccle-
„sia Dei.

Cum autem Papa certus e sententia Constantiensis Concilii habeat supremam potestatem in Ecclesiá Dei: Ergo Papa certus ex ejusdem Concilii sententia non subijcitur Generalis Concilii auctoritati; alioquin non ille haberet supremam auctoritatem, sed Synodus Oecumenica, cui Papa certus subesset.

Thomas de Vio Cajetanus Ordinis Prædicatorum Generalis Magister oratione habitá Romæ in secunda Sessione Concilii Lateranensis V. Generalis sub Julio II. Anno 1512. inter cætera, hæc palam Synodo prædicat: „Illius namque exemplo, quæ in Cælis est Reipublicæ
„beatissimæ, hujus, quæ in terris est, regimen
„constituit Deus, UT ILLUD NON PENES
„OMNES, AUT MULTOS, SED PENES
„UNUM CHRISTI VICARIUM, ET DO-
„MINI GREGIS PASTOREM CONSISTAT.
„Nam sicut in Jerusalem illa, quæ in Cælis est,
„Matre nostra unus tantum Dominus est Jesus
„Christus; ita in hác Jerusalem illius filiá, quæ
„Christi Sanguine irrigatá, & Matris est illu-
„strata splendoribus UNUS TANTUM Prin-
„ceps est Vicarius Christi, & Pontifex Maxi-
„mus, CUI OMNES descendentis Jerusalem
„cives, & incolæ NON SOLUM UT SEPA-
„RATIM SINGULI, SED ETIAM UT SI-
„MUL UNIVERSI OBEDIRE DEBENT:
„quemadmodum qui in superna sunt Jerusa-
„lem sancti cum singulatim, tum universè, di-

„vi-

„visimque, ac simul omnes uni omnium crea-„tori subsunt, parent, obtemperant.

Regimen, quod constituit Deus, non penes omnes, aut multos, *sed penes unum* Christi Vicarium consistit. Ergo non penes Concilium Generale.

Rursus *Unus tantum Princeps est* Vicarius Christi, & Pontifex Maximus, *cui omnes* non solum ut separatim *singuli*, sed etiam *ut simul universi obedire debent*. Ergo etiam Concilia Generalia.

Hęc insignis Doctor ille palam Synodo Generali spectante, & audiente contenta voce recitat; nemo tamen unus illorum Patrum est ausus dicere Synodum Generalem Romano Pontifici parem, aut superiorem; quod & fecissent Patres, & facere debuissent, præsertim cum eorum causa ageretur, si Papa esset par, aut inferior Concilio Generali.

Anno 1562. a Gasparo Cardillo Villalpandeo habita fuit oratio palam Synodo Oecumenica Tridentina, ubi dicit: „Dubium non „est quin Ecclesiam Christus instituerit instar „REGNI, IN QUA UNUS CÆTERIS IM-„PERET.

UNUS, non centum, vel sexcenti in Concilio Generali collecti, *cæteris imperat*; ergo etiam Synodo Generali. Nemo tamen illorum Patrum contradixit, cum de eorum juribus ageretur.

Generalis Synodus Tridentina Session. 14. de refor. cap. 7. de Papa inquit: *Pro suprema potestate sibi in Ecclesia Universali tradita*.

E sententia ergo hujus Concilii Papa non sub-

subest Oecumenicæ Synodo; alioquin non Papæ, sed Generali Synodo soli suprema potestas in Ecclesia Universali tradita esset. Præterea Papa habet supremam potestatem in Ecclesia Universali, ut Tridentinum Concilium fatetur; sed tunc vel maximè proprieque est Universalis, cum in unum per Generalem Synodum colligitur, & repræsentatur. Ergo etiam tunc Papa habet supremam potestatem in Ecclesia Universali, atque adeo in Synodo Oecumenica, quæ non est major Universali Ecclesia.

Libet jam recitare libellum Ennodii, cui Romana Synodus mandavit, ut Apologia pro Symmaco Papa scripta, Schismaticorum criminationes refelleret; hic verò tanta eloquentia, & argumentorum vi id præstitit, ut communi omnium plausu, ac præconiis ipsius libellus exciperetur: Inter cætera enim, hæc libellus continet: „Aliorum forte hominum cau„sas Deus voluit homines terminare: sed sedis „istius Præsulis, suo sine quæstione reservavit „arbitrio. Voluit Beati Petri Apostoli Successo„res Cælo tantum debere innocentiam, subti„lissimi discussoris indagini inviolatam exhibe„re conscientiam. Nolite æstimare eas animas „de inquisitoribus non habere formidinem, „quas Deus præ ceteris suo reservavit exami„ni. Non habet apud illum reus de allegatio„nis nitore subsidium, quando ipsorum facto„rum utitur eo teste, quo Judice. Dicas forsi„tan omnium animarum talis erit in illa disce„ptatione conditio. Replicabo, UNI dictum.

„Tu

„Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: Et quæcumque solveris super terram, erunt soluta & in Cælis: Et rursus Sanctorum voce patet, Pontificum dignitatem sedis ejus factam toto orbe venerabilem, DUM ILLI QUIDQUID FIDELIUM EST UBIQUE, SUBMITTITUR, DUM TOTIUS CORPORIS CAPUT ESSE DESIGNATUR; de qua mihi videtur dictum per Prophetam: Si hæc humiliatur, ad cujus confugietis auxilium, & ubi relinquetis gloriam vestram?

Sedi Apostolicæ *quidquid fidelium est ubique submittitur; dum totius corporis caput esse designatur*. Ergo etiam Concilia Generalia Sedi Apostolicæ submittuntur.

Sub Gregorio X. celebratum fuit Concilium Generale secundum Lugdunense contra Græcorum errores, & pro recuperatione Terræ Sanctæ, Episcopis supra 700. frequens, in quo inter alia capita Fidei, quæ Legati Michaelis Palæologi publicè professi sunt, hoc etiam fuit: „Ipsa quoque Sancta Romana Ecclesia SUMMUM, ET PLENUM PRIMATUM, ET PRINCIPATUM SUPER UNIVERSAM ECCLESIAM CATHOLICAM OBTINET: quem se ab ipso Domino in B. Petro Apostolorum Principe, sive vertice, cujus Romanus Pontifex est Successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter, & humiliter recognoscit.

Romana Ecclesia super universam Ecclesiam Catholicam Summum, & plenum primatum, & prin-

& principatum obtinet: Ergo etiam multo magis super Concilia Generalia, quæ universam Ecclesiam repræsentant.

CAPUT VI.

Testimoniis Romanorum Pontificum eadem veritas comprobatur.

IN Concilio Occumenico Lateranensi, ac legitimo, cui Ludovicus Rex Christianissimus per Legatos se inhæsurum (a) promisit; palam omnibus Patribus Leo X. Papa sic peroravit: „Nec „illud nos movere debet, quod sanctio ipsa, „& in ea contenta, in Basileensi Concilio edi„ta, & ipso Concilio instante, a Bituricensi „Congregatione recepta, & acceptata fuerunt; „cum ea omnia post translationem ejusdem „Basileensis Concilii, per Eugenium Papam „quartum etiam Prædecessorem nostrum fa„ctam, a Basileensi Conciliabulo, seu potius „conventiculo, præsertim post hujusmodi tran„slationem, Concilium amplius appellari non „merebatur, facta extiterint, ac propterea nul„lum robur habere potuerint: Cum etiam SO„LUM ROMANUM PONTIFICEM pro tem„pore

(a) *Session.* 8.

„pore existentem, TANQUAM AUCTORI-
„TATEM SUPER OMNIA CONCILIA
„HABENTEM, Conciliorum indicendorum,
„transferendorum, ac dissolvendorum, plenum
„jus, & potestatem habere nec dum (a) ex Sa-
„cræ Scripturæ testimonio, dictis Sanctorum
„Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum
„etiam Prædecessorum nostrorum, sacrorum-
„que Canonum decretis, sed propria etiam eo-
„rumdem Conciliorum confessione manifestè
„constet. Quorum aliqua referre placuit, reli-
„qua verò utpote notoria silentio præterire.
„Neque nos latet etiam eumdem Leonem Pon-
„tificem Ephesinam secundam Synodum (Ge-
„neralem) ad Chalcedonem transtulisse. Mar-
„tinum etiam Papam Quintum præsidentibus
„suis in Concilio Senensi potestatem transfe-
„rendi Concilium, nulla consensus ipsius Con-
„cilii mentione habita, dedisse. Ephesinam
„quoque primam Synodum Cælestino, ac
„Chalcedonensem eidem Leoni, sextam Aga-
„thoni, septimam Hadriano, octavam Nico-
„lao, octavam etiam Constantinopolitanam
„Synodum Hadriano Romano Pontifici præde-
„cessoribus nostris maximam reverentiam exhi-
„buisse, eorumdemque Pontificum institutioni-
„bus, & mandatis in Sacris Codicillis per eos
„editis, & factis, reverenter, & humiliter ob-
„temperasse.

Hic non modo asserit, sed etiam demonstrat Papam auctoritate Synodis Oecumenicis antecellere.

L S. Ge-

(a) *Session. X. Concil Later.*

S. Gelasius Papa ad Episcopos per Dardaniam constitutos in c. *cuncta*. 9. q. 3. „Cuncta „(inquit) per mundum novit Ecclesia, quod „Sacrosancta Romana Ecclesia fas de omnibus „habeat judicandi: neque cuiquam de ejus li„ceat judicare judicio. Siquidem ad illam de „qualibet mundi parte appellandum est, ab „illa autem nemo est appellare permissus. Sed „nec illa præterimus, quod Apostolica Sedes „sine Synodo præcedente, & solvendi, quos „Synodus iniquè damnaverat, & damnandi, „nulla existente Synodo, quos oportuit, ha„buit facultatem: & hoc nimirum pro suo prin„cipatu, quem Beatus Petrus Apostolus Do„mini & voce tenuit semper, & tenebit.

Hinc patet Romanum Pontificem facultatem a Christo habere de omnibus, ideoque etiam de Conciliis Generalibus judicandi, ut re ipsa judicavit, & damnavit Ariminensem, & secundam Ephesinam Synodos Generales, quas statim Universalis Ecclesia perhorruit.

S. Damasus Papa inquit: „Nullo Episcopo„rum numero decreta firmari, quibus Romanus „Pontifex assensum non præbuit, & hujus an„te omnia expectandam sententiam esse: nec „ulla unquam rata Concilia legi (a) quæ non „sunt fulta Apostolica auctoritate.

Sanctus demum Julius Pontifex Maximus epistol. 1. „Ipsi vero (inquit) Primæ Sedis Ec„clesiæ convocandarum Generalium Synodo„rum jura, & judicia Episcoporum, singulari „pri-

(a) *Epistola ad Episc. Illyria, apud Theodoret. lib. 2, cap. 22. & Epis. 2. ad Stephan., & Concil. Afric.*

„privilegio, Evangelicis, & Apostolicis, atque „canonicis concessa sunt institutis: quia semper majores causæ ad Sedem Apostolicam „multis auctoritatibus referri præceptæ sunt. „Nec ullo modo potest major a minori judi„cari .(a) Ipsa namque omnibus major, & præ„lata est Ecclesiis, quæ non solummodo Ca„nonum, & Sanctorum Patrum decretis, SED „DOMINI Salvatoris Nostri voce singularem „obtinuit principatum: Tu es, inquit, Petrus, „& super hanc Petram ædificabo Ecclesiam „meam.

CAPUT VII.

Rationes Theologicæ ex Evangelio petitæ probant Romanum Pontificem Concilio Oecumenico superiorem.

PRIMA RATIO.

CHristus Dominus soli Petro, Petrique Successori Papæ dixit: *Et tibi dabo Claves Regni Cælorum.* Claves autem summam tum ordinis, tum jurisdictionis auctoritatem significant in Universam Ecclesiam, quam satis perspecta, familiarique in Evangelio phrasi *Regnum Cælorum* Chri-

(a) *Tom. 1. Concilior. & cujus meminit Sozomen. lib. 3. c. 7.*

ſtus appellat, uti Beatus Gregorius hom. 12. in Evangel. teſtatur. Clavibus quippe poteſtatem ſignificari, atque conferri liquet Iſaiæ cap. 22., & 3. Apocalypſeos, & paſſim in jure notum eſt ex L. Clavibus. 74. „Beatus es (inquit „Chriſtus) Simon Bariona, hoc eſt fili Jonæ, „& ego dico tibi quia Tu es Petrus, & tibi da„bo claves Regni Cælorum.

Quid plus agere, aut ſcribere Notarius poſſet, ut nomen proprium certæ alicujus Perſonæ in publico inſtrumento exprimeret? Quamquam enim Matth. 18., & Joann. 20. non ſolum Petro, ſed etiam cæteris Apoſtolis collata fuit poteſtas ligandi, ſolvendi, remittendique peccata; Nunquam tamen commiſſæ ſunt illis, ſed Soli Petro Claves Regni Cælorum; ut omnes ad unum planè intelligant poteſtatem ligandi, & ſolvendi ad Epiſcopos, alioſque Sacerdotes, limitatè tamen, & pro determinatis Eccleſiis ſpectare: Sed Claves totius Regni Cælorum ſoli Petro, ejuſdemque Succeſſori Romano Pontifici traditas eſſe. Sicut enim aliud eſt Claves Ærarii, aliud pecuniam ex Ærario habere: primum quidem plenitudinem; ſecundum verò portionem duntaxat auctoritatis ſignificat, hoc partem, illud, totum oſtendit.

Ad rem enim belle cadit illud Beati Hilarii, quod ſedulo perpendendum exiſtimo: „O' Bea„tus (inquit) Cæli Janitor! cujus arbitrio cla„ves æterni aditus traduntur: Cujus terreſtre „judicium (a) præjudicata auctoritas fit in Cælo, „ut

(a) *interpr. in cap. 16. Matth.*

„ut quæ in terris aut ligata sint, aut soluta; „statuti ejusdem conditionem obtineant & in „Cælo.

Ita sentit Beatus Hilarius de Petro Apostolorum Principe, uti scribit.

Cum igitur non Concilio Oecumenico, sed Romano Pontifici sint a Christo Domino Claves Regni Cælorum traditæ; fateamur necesse est majorem sine controversia potestatem aperiendi, claudendique Papam, quàm Generale Concilium habere; nec poterit sane Concilium Oecumenicum aperire, quod Papa clausit, neque claudere, quod ille aperuit; cum clavibus careat; vel si claves etiam in Pontificem Romanum habet; ostendat, unde acceperit, & ubi Christus dederit Concilio, aut Ecclesiæ claves, & auctoritatem in Romanum Pontificem; ac dixerit: *dabo tibi claves in Petrum*: sicut Petro dixit: *dabo tibi claves in Ecclesiam, & Regnum Cælorum*; atque adeo in Concilium Generale. Nec enim Concilium Oecumenicum est majus ipsa Ecclesia, quam repræsentat.

II. *RATIO*.

Operæ pretium est locum Scripturæ Joann. ultim. in medium afferre, cujus hæc est sententia: „Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Jesus: Simon Joannis, diligis me plus „his? dicit ei: etiam Domine, Tu scis quia „amo Te. Dicit ei. Pasce agnos meos. Dicit „ei iterum: Simon Joannis diligis me? ait illi: „etiam Domine, Tu scis, quia amo Te. Dicit

 „ei:

„ei: pasce agnos meos. Dicit ei tertiò. Simon „Joannis amas me? Contristatus est Petrus, „quia dixit ei tertiò, amas me? & dixit ei. Do-„mine Tu omnia nosti, quia amo Te. Dixit ei „pasce oves meas.

Hæc autem Christi Domini verba: *Pasce agnos meos*, *pasce oves meas*, ad solum Petrum spectant, atque collineant, quibus profectò quæ Matth. 18. Christus spoponderat; nunc præstat. Cum solo Petro Christus loquitur, solum examinat, responsum a solo accipit, aliosque Apostolos inter oves, vel agnos Petro commissos recenset.

Cum itaque Christus dicat: *pasce oves meas*; neque exprimat quas; committit utique omnes pascendas. Cur enim potius istas, quàm illas, cum nullas designet, aut excipiat? quæ igitur sunt oves Christi, sunt etiam oves Petri; nec ullum Pastorem habere possunt, qui Petrum non habent. Audiamus jam Beatum Leonem, quem errore invulnerabilem, doctrinis undique veritatis cinctum (*a*) & Beati Petri vocis interpretem (*b*) omnibus constitutum Chalcedonensis Generalis Synodus prædicat: „De toto (inquit Leo) mundo unus Petrus „eligitur, qui & universarum gentium vocatio-„ni, & omnibus Apostolis, cunctisque Eccle-„siæ Patribus præponatur: ut quamvis in po-„pulo Dei multi sint Sacerdotes, multique Pa-„stores, omnes tamen propriè regat Petrus, „quos principaliter regit (*c*) & Christus.

Idem

(a) *prosphonet ad Imperat.* (b) *Synodit. Epist. ad Leon.*
(c) *Serm. 3. de assumpt. suæ.*

Idem profectò ipsum Sanctus Bernardus fatetur scribens ita ad Romanum Pontificem :
„Nec modo ovium, sed & Pastorum Tu unus
„omnium Pastor. Unde id probem quæris? ex
„verbo Domini. Cui enim non dico Episco-
„porum, sed etiam Apostolorum sic absolutè,
„& indiscretè totæ Commissæ sunt oves? Si
„me amas Petre, Pasce oves meas. Quas? il-
„lius, vel illius populos civitatis, aut Regio-
„nis, aut certi Regni? oves meas, inquit. Cui
„non planum non designasse aliquas, sed assi-
„gnasse omnes? nihil excipitur, ubi distingui-
„tur nihil.

Ex hoc Joannis Evangelistæ loco patet Romanum Pontificem auctoritate Synodis Occumenicis antecellere.

Aut enim Episcopi utpote in Concilio Generali collecti oves Christi, aut ovile, aut Pastores universæ Ecclesiæ sunt. Nam particulares illos esse Pastores constat. Si oves, aut ovile sunt; ergo unum, & visibilem Pastorem habent, cui subjecti sunt, & obediunt; quemque sequuntur; quem alium, præter Petri successorem Romanum Pontificem? nisi planè dicere velint se oves esse sine Pastore, ideoque nec Christi esse. Hic enim ovibus suis Pastorem dedit: *Petre amas me? pasce oves meas*. Nam quas non pascis, non sunt meæ. Quod si Generalis Synodus pastor est: quomodo unus Pastor, tot Pastores? quomodo omnes Christi oves Petro commissæ, si tot exceptæ, nec exceptæ solum, sed Petro antelatæ? Vel hanc pascendi ipsum Pastorem, nempe Petrum, ejusque Successo-

rem Papam a Christo acceperunt, vel non acceperunt potestatem. Si non acceperunt: Ergo non habent: si acceperunt: ostendant quando, ubi, & quo in Evangelio dicatur Synodo Generali: *Pasce Petrum, adeoque ejus etiam Successorem*. Si enim apud Jurisconsultos turpe est sine lege causam probare, vel confirmare: multo sanè turpissimum est Theologos sine Evangelio loqui.

Si dicas Petro fuisse omnes oves Christi commissas sigillatim sumptas, non verò collectas; & Papam esse super omnes Episcopos separatim, non verò super omnes collectim, & in Concilio Oecumenico congregatos:

Respondeo hujusmodi distinctionem nullo prorsus Evangelii, Sacræque Scripturæ testimonio, & auctoritate niti. Non est ferendum autem in hac gravissima causa, perinde ac si in aliqua philosophica controversia, ingenii acuendi gratia tam claris scripturæ testimoniis distinctionem opponere nullo fundamento nixam, nec in scripturis, nec in Patribus repertam unquam: ut hac semel probata philosophandi ratione nihil tam clare a Scriptura dicatur, cui non lucem eripere facile quisquam possit.

Imo verò etiam Scripturæ hæc distinctio vehementer, aperteque repugnat. Pastoris enim est ovibus non tantum palantibus, vagisque, sed etiam collectis imperare, ipsumque gregem custodire; alioquin eodem modo, majorique ratione dicendum erit Episcopos singulis quidem suæ Diœceseos Sacerdotibus ante-

cel-

cellere poteſtate, ſed non omnibus congregatis, & ita ſuæ Synodo ſubeſſe, ab eaque judicari poſſe, legeſque accipere. Ut enim Epiſcopus Sacerdotibus, ita Papa Epiſcopis imperat.

Præterea cum Chriſtus Dominus Petro ſuas oves commiſerit, id ſanè ipſum præſtitit, quod Matth. 18. pollicitus fuerat. Illic vero ſpoponderat ſe ſupra Petrum ædificaturum non Eccleſias tantum particulares, ſed totam, & Univerſam. Id enim illæ voces ſignificant, *Eccleſiam meam: Tibi dabo claves Regni Cælorum.*

Rex cum in Provinciam Vicarium mittit, aut Proregem, ejuſque Fidei Regnum, ſubditoſque commendat; & ſingulos, & omnes conjunctim commendaſſe intelligitur; ut nulla Ditionibus, & Comitiis Generalibus in Vicarium, vel Proregem poteſtas ſit. Ridiculus plane Imperator ille habendus eſſet, cui ſinguli tantum milites, non exercitus obtemperaret.

Qui contrariam ſententiam tuentur; imbecillitatem ſuæ cauſæ patefaciunt; cum nullum Scripturæ locum poſſint producere, quo probent datam Eccleſiæ in Petrum poteſtatem fuiſſe; & contra ſe allatos declinare non poſſunt, niſi miſere illis vim afferant.

III. *RATIO*

DEpromitur è pluribus Scripturæ locis, in quibus ſtatus Eccleſiæ Monarchicus, & unico Capiti, Summo nempe Romano Pontifici ſubjectus apertè oſtenditur. Nam cant. 6. *Exercitui* ordinato, in Evangeliis paſſim *Regno*,

Joan-

Joannis 10. *Ovili:* ad Corinth. 1. & ad Rom. 12. *Corpori humano* Ecclesia comparatur.

Nemo verò unquam negaverit exercitum Duci, Regnum Regi, ovile Pastori, & corpus capiti obedire. Nec unquam in Sacra Scriptura invenire potes Ecclesiam Rempublicam appellari, sed domum tantum, sed Regnum, sed familiam; ut omnes satis perspectum, compertumque habeant supremam in Ecclesia potestatem uni, non pluribus collatam esse. Quoquidem loco Beatum libet Ambrosium in medium afferre, quò rem vel ipse, veritatemque hujusce causæ illustret, atque confirmet: qui certe quidem interpretans ea Scripturæ verba: „Fidelis est ille servus, & prudens, quem con„stituit Dominus super familiam suam, inquit: „Quisnam fidelis servus, & prudens, quem „constituit Dominus super familiam suam, ut „det illis in tempore cibum? Beatus ille servus, „quem veniens Dominus ejus (a) invenerit sic „facientem. Non vilis hic servus est. Magnus „aliquis esse debet. Quis sit iste consideremus. „Est Petrus, ipsius Domini ad pascendum Gre„gem electus judicio, qui tertio meretur audi„re. Pasce agniculos meos, pasce agnos meos, „pasce oviculas meas.

Cum autem Petrum Christus Dominus, Petrique Successorem super familiam suam constituerit: etiam supra Concilium Oecumenicum, quod vel est ejus familia, vel ex ejus familia, eumdem constituerit necesse est.

IV. RA-

(a) *in proœm. lib. 5. de Fide.*

IV. *Ratio*

Petenda est ex illo loco Lucæ 22., ubi sic Petrum Christus alloquitur: „Simon, Simon, „ecce Satanas expetivit ut cribraret vos, sicut „triticum; ego autem pro Te rogavi, ut non „deficiat fides tua, & Tu aliquando conversus „confirma fratres tuos.

Petrus igitur, ejusque Successor Papa debet confirmare fratres omnes, ac propterea ipsamet Concilia Generalia. Non enim Concilia Generalia jubentur a Christo confirmare fratres, sed solus Petrus, ejusque successor Papa. Ergo Romanus Pontifex Doctrinæ magisterio Synodis Oecumenicis antecellit: quam quidem veritatem ut patefaciam, planeque demonstrem, facturus operæ pretium sum, si ostendero Papam etiam sine Concilio Generali nunquam erravisse, nec errare posse in definiendis ex Cathedra fidei quæstionibus: Synodos vero frequentissimas, & Oecumenicas sine Confirmatione Papæ plures turpissime erravisse.

V. *Ratio*.

Concilia Oecumenica a Romano Pontifice reprobata, turpiter in decidendis fidei, morumve quæstionibus erraverunt, ut Ariminense sexcentorum Episcoporum erravit cum Ario, Ephesinum secundum etiam frequentissimum cum Dioscoro, Constantinopolitanum vero trecentorum Antistitum cum Leone Im-

pe-

peratore. Sexta item Synodus apud Trullum celebrata non unum sed multa peccavit, ut videre licet canon 2.3.13.55., & 67. errare igitur in fide, & moribus Concilia Generalia sine Papæ confirmatione possunt, & reipsa erraverunt. Papa verò in decidendis ex Cathedra fidei quæstionibus extra Concilium Generale nunquam erravit, neque errare potest, ut primo libro satis abunde ostendimus. Fateamur ergo necesse est Romanum Pontificem Doctrinæ magisterio utpote infallibilem Synodis Generalibus antecellere.

VI. *RATIO*.

UNus supremus Pastor omnibus fidelibus, etiam Conciliis Generalibus a Christo Papa præpositus est; ut universalis Ecclesiæ unitas in fide, & pax per unum Pastorem conservetur, & Schismata tollantur: & hæc ratio est Sanctorum Optati Milevitani Lib. 2. de Schismate Donatistarum: D. Hieronymi adversus Jovinianum, ac Beati Cypriani: ne videlicet, juxta Cyprianum „Gubernatore (a) sublato, atrocius, atque violentius circa naufragia „Ecclesiæ hostis grassetur.

VII. *RATIO*.

UT, quando Generale Concilium propter externam persecutionem, vel bella congre-

(a) *Lib. 1. Epist. 3.*

gregari non potest; Sit unus, qui pro auctoritate sua causas singulorum cognoscat, & decidat. Et hæc est ratio Magni Basilii Epistol. 78.

VIII. *RATIO.*

UNus Monarcha ipsis quoque Synodis Generalibus Superior habendus est Romanus Pontifex Petri successor, ut certum sit quæ Concilia sint legitima, & quis vel congreget, quemadmodum oportet, vel quis e contra dissipet; atque hæc est ratio S. Damasi contra Concilium Ariminense; quæ quidem ratio amplius illustratur. Nam si inter Patres Concilii Generalis est controversia vel de intellectu Sacrarum literarum, vel de uno quolibet libro an Canonicus sit, nec ne, vel de alia hujus generis quęstione; ad hanc litem componendam Judicem ponere necesse est, & infallibilem, ut certum judicium sit, & auctoritate superiorem Concilio Oecumenico, ut diffidentes Patres plenitudine potestatis, ac certitudine magisterii parere cogat, & contumaces queat compescere. Supremus autem in Ecclesia Judex, atque Monarcha solus Romanus Pontifex ab universa Ecclesia semper est agnitus.

IX. *RATIO.*

A Concilio Generali ad Papam appellare licet, ut legitimè Beatus Flavianus Patriarcha Constantinopolitanus, & Beatus Theodoretus Cyri Episcopus in causa fidei a secunda Ephe-

Ephesina generali Synodo ad Leonem Magnum Papam appellaverunt: a Papa verò ex Cathedra docente ad Synodum Oecumenicam appellare non licet. Ergo Papa est Generali Synodo auctoritate superior. Nam in appellationis causa appellans, a potestate, & jurisdictione ejus, à quo appellat, eximitur. Sed nemo unquam potest à jurisdictione, ac potestate Romani Pontificis eximi; alioquin non amplius ejus ovis foret, atque adeo neque Christianus; cum Christus Dominus in quoscumque Christianos Petro dederit auctoritatem his verbis, *pasce oves meas*, non has, vel illas, non hujus, vel illius regionis, sed universas: *oves meas*, omnes videlicet, qui Christum venerantur, & colunt, ut verè, eleganterque 3. consideratione ad Eugenium docet Bernardus. Secundo per appellationem appellans abiicit obedientiam, communionemque ejus, a quo appellat. Sed nulli Christiano, in quamcumque dignitatem evectus sit, ab obedientia Summi Pontificis, & communione cum Apostolica ejus Sede licet recedere. „Quisquis enim extra hanc „Domum agnum comederit, profanus est. Si „quis in Arca Noe non fuerit; peribit regnan- „te Diluvio, ut Hieronymus maximus Ecclesiæ Doctor S. Damasum Papam alloquitur.

X. RATIO.

JUdex, a cujus judicio provocatur, Judicem, ad quem appellatur, Personæ condemnatæ dare, aut designare non debet: sic enim ageret

ret in se ipsum, abiretque in rem judicatam, contra communem Regulam juris. Atqui *Solius* Romani Pontificis est Concilia Oecumenica indicere, congregare, & confirmare, atque eorum decretis robur, ut omnes vel Tyrones norunt Theologi, tribuere. Quamobrem si ab ejus judicio ad Concilii Generalis tribunal provocatur, debebit Pontifex ipse contra semetipsum arma, quibus emendetur, & corrigatur, suppeditare; & quod amplius est, omnia isthęc contra se, suumque judicium, definita, novo suopte calculo confirmare: quæ quidem res universum justitiæ ordinem, clarissimamque perverteret Hierarchiam.

CAPUT VIII.

Adversariorum Sophismata diluuntur.

SOlent quidam Sophistæ, quibus veritas molesta est, ad Romani Pontificis Supremam, ac Monarchicam potestatem labefactandam, proferre Synodi Constantiensis decretum, cujus hæc est sententia: „Ipsa Synodus in Spi„ritu Sancto legitime congregata, disponit, sta„tuit, decernit, declarat, ut sequitur; & primò „quod quilibet cujuscumque status, (a) vel di„gni-

(a) *Session.* 4.

„gnitatis, etiamsi Papalis existat, obedire te„netur in his, quæ pertinent ad fidem, & ex„tirpationem dicti Schismatis, & reformatio„nem generalem Ecclesiæ Dei in capite, & „membris. Eadem Sessione V. repetuntur.

RESPONSIO.

HUjuscemodi decreta minimum apud Ecclesiam valent; quippe quæ ab una tantum obedientia, a Prelatis nempe Joanni XXIII. obedientibus lata fuerint. Quam quidem rem tum Eugenius IV., tum etiam Cardinalis a Turrecremata testatur: qui veritatis gnarus, gestorumque istorum Concilii oculatus testis, ac pro suo merito fide dignus hæc refert: „Notandum quod Congregatio illa Constantiæ „celebrata tria tempora habuit. Primum fuit, „in quo sola obedientia (a) præfati Joannis Bal„thasar Constantiæ convenerat. Secundum „tempus fuit, in quo Angelus Coriarius voca„tus in obedientia sua Gregorius XII. juri suo „cedens præfatæ Congregationi se sub certis „modo, & formis conjunxit. Tertium tempus „est, in quo Reges, & Principes, ac Prælati „obedientes Petro de Luna, Benedicto XIII. „vocato in obedientia sua per suos Oratores „nova facta convocatione Concilii se unierunt „præfatæ Congregationi ad Pacem dandam „Universali Ecclesiæ. Et fuimus nos tunc præ„sentes in minoribus constituti, pro quo solo „tem-

(a) *Summa de Ecclesia lib. 2. cap. 99.*

„tempore convenientibus omnibus simul tri-„bus obedientiis fuit certum dicere, quod U-„niversalis Ecclesia repræsentativè congregata „esset Constantiæ. Nullus autem dubitat, quin „asserere quod sola obedientia Joannis faceret „Concilium Universale, Universalem Eccle-„siam repræsentans, esset temerarium, & scan-„dalosum aliis duabus obedientiis. Tertio ea, „quæ inducuntur de decretis Concilii Con-„stantiensis non militant; quoniam auctoritati „illius aliæ duæ obedientiæ scilicet Gregorii, „& Benedicti apertissima contradictione in ple-„na Congregatione se opposuerunt, & eorum „contradictio fuit accepta &c. In illorum deter-„minatione non modo non intervenit Univer-„salis Ecclesia, sed obedientia una tantum, „scilicet Joannis XXIII. ut dictum est, sed etiam „non integra tota illa obedientia; quoniam „plures Patres doctissimi illius obedientiæ illis „non præstiterunt consensum, aut assensum „suum. Item nec ipsâ in sua obedientia voca-„tus Joannes XXIII.; quoniam cum post reces-„sum suum a Constantia, Scaphusæ constitu-„tus audiret præfatam declarationem conclu-„sam, Dominis Oratoribus Christianissimi Re-„gis Franciæ visitantibus eum, videlicet Do-„mino Duce Bavariæ, Domino Nicolao de „Colavilla, aliisque eorum Collegis, amaro „animo conquestus est falsa quædam, & erro-„nea adversus auctoritatem Summi Pontificis „Romani, decreta per æmulos suos post reces-„sum ejus esse conclusa &c.

Quæ quidem omnia tum ab aliis Scriptori-

bus, cum vero etiam ab ipsis Concilii Constantiensis actis confirmantur. Hæc autem Sessionis quartæ, & quintæ decreta, quæ a solis Prælatis obedientiæ Joannis XXIII., ut nuper ostendimus, nec etiam ab illis omnibus CONCILIARITER edita fuerant, Martinus V. Papa noluit confirmare, dum ita Session. 45. & ultima ejusdem Constantiensis Concilii, pronunciavit: „Quod omnia, & singula determinata „conclusa, & decreta in materiis fidei per præ„sens Concilium CONCILIARITER, tene„re, & observare inviolabiliter volebat, & nun„quam contraire quoquo modo: IPSAQUE „SIC CONCILIARITER facta approbat, & „ratificat, & NON ALITER, NEC ALIO „MODO.

Quid autem voces illæ: *Conciliariter facta*, & illæ, *non aliter, nec alio modo*, sibi volunt? nisi ut ostendant decreta quartæ, & quintæ Sessionis Constantiensis vehementer Sedi Apostolicæ injuriosa, quæ non fuerant *Conciliariter facta*, non fuisse a Martino V. Pontifice probata? qui certe quidem, ut ex actis in Constantiensi Synodo videmus, confirmavit damnationem errorum VVicleffi, & Hussi a Patribus Synodaliter factam. Inquit enim Sessione 45.: „Se, „quæ in puncto fidei contra VVicleffum, & „Hussum a Patribus essent CONCILIARITER „DECRETA, sanctè observaturum, & rata, „confirmata habere, non verò quæ ad fidem „non pertinerent, aut QUÆ NON CONCI„LIARITER: hoc est cum debito examine, discussione, initisque suffragiis essent definita.

Imo

Imo verò etiam ipsemet Papa Martinus V. ut nihil loci Sophistarum cavillis relinqueret, palam eadem Constantiensi Synodo nemine reclamante, ac proinde consentientibus omnibus (cum pateat silentium pro consensu esse, cum loqui oporteat) hoc decretum edidit: „Tam jure divino, quàm etiam humano, qui„bus Sacrorum Canonum auctoritas innititur, „nulli fas est a Supremo Judice, videlicet Apo„stolica Sede, seu Romano Pontifice Jesu Chri„sti Vicario in terris appellare, aut illius judi„cium in causis fidei, quæ tanquam majores „ad ipsum, & Sedem Apostolicam deferendæ „sunt, declinare.

Præterea ipsamet *sola* pars Concilii Constantiensis, quæ Sessione 4. & 5. decreta illa in Papam *non conciliariter* tulerat; clarissimè verbis illis repetitis: *pro extirpatione præsentis Schismatis*, & illis: *ad extirpationem dicti Schismatis*, limitat ad casum Schismatis; quale tunc erat propter tres dubios, incertosque Pontifices, quorum quisque sese verum, ac legitimum esse Papam acriter contendebat. Quidam tamen Galli ad certum quoque, exploratumque Pontificem ea decreta detorquent: quos hoc dilemmate convincendos puto: Vel ea decreta, quæ supra memoravimus, ad casum Schismatis, incertumque dumtaxat Papam referenda sunt: & sic per se ipsam hæc veritas rata, firmaque habetur, licet a nulla unquam Synodo promulgaretur: vel ad certos quoque Pontifices referenda sunt: & sic pluribus rationibus refelluntur: & primo quidem, quia non fuerant *Con-*

ciliariter a tota Synodo, sed a solis Prælatis obedientiæ Joannis XXIII., nec etiam ab illis omnibus promulgata. II., quia illa utpote *non conciliariter edita* Martinus V. non confirmavit. III., quia idem Martinus oppositum non reclamante Constantiensi Synodo declaravit. IV., quia eadem Synodus gestorum suorum confirmationem a Martino V. petiit: quam non nisi a superiore Concilia petere solent. V., quia supremam potestatem, quam a Christo esse Petro, ac Petri Successoribus traditam Ecclesia profitetur; nec Papa, nec Generalis Synodus diminuere unquam potest.

OPPOSITIO SECUNDA.

OPponunt nobis adversarii Basileense Concilium, quod sessione 2. definit Concilium Generale supra Papam esse.

RESPONSIO.

EO tempore, quo Concilium in Pontificem sententiam pronunciare ausum est, non erat in Concilio legatus Pontificis, omnesque præcipui Episcopi discesserant, & quidem Cardinalis Arelatensis munus præsidendi sibi arrogaverat, & quia Episcopi paucissimi erant, introduxerunt in Synodum ingentem multitudinem Presbyterorum; ita ut contra omnem formam Conciliorum; non Episcoporum, sed Presbyterorum Synodus esset. Deinde eodem tempore agebatur Florentiæ Concilium alterum,

rum, in quo præſidebat verus, legitimus, certus, exploratuſque Papa Eugenius IV. Christi Vicarius, & cum eo ſedebant Epiſcopi Latini, & Græci ſine controverſia plures, quàm eſſent Baſileenſes, & una cum Epiſcopis aderat Imperator Græcorum, & Legatus Imperatoris Latinorum, ut nullo modo dubitari poſſit utrum ex duobus ſit verum Concilium Eccleſiæ Generale.

Præterea Baſileenſis Concilii Patres, eos, qui miſſi erant, ut Concilio præſiderent juxta morem Conciliorum Univerſalium, recipere noluerunt. Inſuper nulla decreta Concilii unanimi conſenſu concluſa fuerunt; tum quia multi Prælati, & Doctores utriuſque juris ejuſmodi decretis reſtiterunt, tum etiam quia in fraudem Legatorum, quos a Caſtellæ, & Angliæ Regibus (a) miſſos, atque Synodo jam appropinquare cognoverant; ſeſſione 18. feſtinabant definire illud, cui dictos Legatos nolle aſſentiri ſciebant.

Jam vero quid de hac Synodo ſenſerit Eccleſia Gallicana, quæ tum florebat, referre conſilium cepi. Galli ſiquidem ipſi, qui aliquandiu contra Eugenium Concilio Baſileenſi adhæſerant, ubi tamen veritatem edocti fuerunt, videruntque, dum ambitioni, privatiſque ſtudiis Baſileenſes ſtudent; periclitari Eccleſiam; non ſolum Eugenium IV. propugnaverunt; ſed etiam profeſſi ſunt Concilium Generale ſupremæ Romani Pontificis poteſtati ſubjectum eſſe. Teſtis eſt Epiſcopus Meldenſis Legatio-

(a) *Vide notas Binnii in hoc Concilium.*

tionis princeps a Carolo VII. Christianissimo Francorum Rege ad Eugenium missæ; qui quidem sui Regis, Gallorumque nomine palam Generali Florentina Synodo inter cætera sic fatus est: „Nimio fervore resistendi ad hanc vesaniam (Basileenses) devenerunt, quod supremam potestatem in uno supposito consistere denegant, sed eam in multitudine, quæ cito in diversa (a) scinditur, collocant, & sic pulcherrimam Monarchiam Ecclesiæ, quæ Christianos huc usque tenuit in unitate fidei, in una professione Religionis Christianæ, in uno ritu Sacramentorum, in una observantia mandatorum, in eisdem cæremoniis divini cultus, atque pacem, & tranquillitatem asseruit, nunc abolere, & supprimere contendunt, nobilissimam politiam, quæ beatitudinem Cælestem habet pro fine, ad Democratiam, vel Aristocratiam redigentes, & ulterius in malis procedendo, unum sibi in capite assumpserunt, qui non eis præfertur: & sic Schisma factum est nedum in obedientia capitis, sed & in doctrina Evangelii, quod omnibus Christicolis est abominandum. Et hoc animadvertens præfatus Christianissimus Rex Franciæ vehementi dolore ingemiscit, & condolens Ecclesiæ, remedia ubique perquirit, ac denique Consulto Prælatorum, & aliorum multorum Sapientium Regni sui, videtur sibi quod nullum est aptius remedium ad hoc Schisma extirpandum, quàm evellere, aut „dis-

(a) *Raynald. & Sanguin. in Carolo 7.*

„diſperdere duas prædictas extremitates : ad „quod faciendum, neceſſarium eſt Generale „Concilium . Porro Concilium Baſileenſe unam „extremitatem nimis exacuit, quando verita„tem de ſuprema poteſtate in uno extinguere „pertentavit . Concilium autem Florentinum „hanc veritatem bene quidem lucidavit, ut pa„tet in decreto Grçcorum, ſed pro regulando „uſum hujus poteſtatis nihil edidit, nihilque lo„cutum eſt.

Accedunt etiam aliorum graviſſimorum Scriptorum ineluctabilia teſtimonia : Beatus enim Nicolaus Albergatus Bononiæ clariſſimum decus, & ornamentum ſic ſentit de Baſileenſi Concilio . Carolus igitur Sigonius cap. 13. de Beato Nicolao Albergato hæc tradit : „Cum „audiſſet (Albergatus) quæ in contemptum „Apoſtolicæ Sedis decreviſſent, (Baſileenſes) „vehementius homo antiquæ probitatis exar„ſit, atque graviter eorum facta increpuit, & „ut in auctoritate (a) Summi Pontificis ipſius „Chriſti Vicarii permanerent, admonuit.

Sanctus Antoninus Archiepiſcopus Florenti„nus rem ſic teſtatur: Eugenius IV. Concilium „Baſileæ congregatum auctoritate Apoſtolica „diſſolvebat : Illi tamen obturaverunt aures „ſuas, & cęperunt Eugenium citare, ſolicitati „ad hoc a Duce Mediolani ægrè ejus Pontifica„tum ferente . Sigiſmundus vero Imperator, & „Veneti diſſuadebant iis, qui Baſileę erant con„gregati, ne pergerent . At illi depoſito Euge-

(a) *in ejus Vita*.

„nio, Ducem Sabaudiæ Amedæum in idolum „sibi erigentes, Felicem V. nuncupaverunt, „cui tantum intra Territorium suum obeditum „fuit. Is cum Abbatem Panormitanum, & „Joannem quemdam instituisset Cardinales, „Joannes morte subtractus est, Abbas verò Pa„normorum reversus, pileum sponte dimisit. „Denique Julianus Cardinalis relicto BASI„LEENSI CONCILIABULO, ad Eugenium „Papam se contulit. Illi nimirum Basileenses, „obturaverunt aures suas, scilicet jussis Apo„stolicis, quibus Pontifex Basileensem Con„ventum dissolverat, non audientes vocem Do„mini, sed Congregatione illa facta CONCI„LIABULO NULLAS VIRES HABENTE, „nisi ut Synagoga Satanæ, auctoritate suæ te„merariæ præsumptionis cæperunt Eugenium „ad Concilium adeundum citare, solicitati ad „hoc a Duce Mediolani ægrè Pontificatum ejus „ferente, quia non sibi favebat.

Beatus Joannes Capistranus de Concilio Basileensi ita sentit, ut scribit: „Jam vidimus (in„quit) abominationem desolationis Amedæum „Sabaudiensem, non in loco Sancto Romano „Throno, Domino prohibente, sed in loco pro„fano, excommunicato, & interdicto Basilisco„rum Spelunca, Dæmonumque Caverna se„dentem (a) in fano Chosroe Persarum olim „perditissimi Regis.

Panormitanus, Teste Ænea Sylvio, sic Patres Basileensis Concilii allocutus est: „Vos Pa-
tres

(a) *de Papa, & Concil. auct. part. 3.*

„tres nostras contemnitis preces, Reges, &
„Principes contemnitis: at cavete, ne, dum
„omnes despicitis, ab omnibus despiciamini;
„ita rem contigisse visuri sumus.

Joannes de Turrecremata: „Nullus sanę men-
„tis Vir, qui novit cum quanta gravitate, inte-
„gritate, & modestia, fidei judicia tractanda
„sunt: judicabit esse universali consensu totius
„Ecclesiæ conclusa, Spirituque Sancto dictata,
„in quibus hujusmodi factiones, & practicæ in-
„tervenerunt.

Præterea Sessio XVI. Concilii Basileensis ce-
lebrata fuit, in qua Eugenius IV. per secun-
dam Bullam irritum esse declarat, quod Patres
Concilii, contradicente Pontifice sancire ausi
fuerint: perinde ac si sine ipso Generalis Con-
cilii potestatem haberent: & per tertiam Bul-
lam ibidem recitatam inquit: „Absit igitur a
„nobis, absit ut talem declarationem faciamus,
„& quod talia gesta comprobemus. Et paulo in-
ferius idem Pontifex ita: „De hoc autem ad
„ostendendam nostram synceram, & purissimam
„intentionem, quam habemus, ut Concilium
„fiat, & quod omnia ad finem debitum perdu-
„cantur, contenti sumus, & volumus purè, &
„simpliciter continuè fuisse Concilium, ita ta-
„men quod OMNIA GESTA, ET ATTEN-
„TATA CONTRA NOS, SIVE SEDIS
„APOSTOLICÆ LIBERTATEM, VEL PRI-
„VILEGIA, prout de facto fecerunt, sic de fa-
„cto ante omnia REVOCENT; nostrosque Le-
„gatos juxta juris regulas præsidentes admit-
„tant. Rursus idem in eadem Bulla se superio-

rem

rem Concilio Generali declarat his verbis: „Sed „NOS in his CONCILIO superiores, ipsum „possemus pro libito regulare.

Atque, uti testatur Cardinalis Turrecremata, qui Concilio Basileensi assedit, lib. 2. de Ecclesia cap. 100., *nunquam Eugenius adduci potuit, Concilio licet omnia movente, ut ea confirmaret*. Animadvertendum autem est Eugenium IV. decreta Basileensis Concilii, quibus auctoritatem Papæ vulnerabant Patres; contrariis decretis sæpe oppugnasse. Nam & Archiepiscopos Colocensem, & Tarentinum misit, qui ab hujusmodi decretis Concilium prohiberent, cujus egregia ad Patres oratio extat in app. Concilii, & per Jacobum Ebrodunensem acta Concilii rescidit, *ex eadem appendice*, & fautores Concilii gravissimis pœnis affecit *act. Conc. Session. 9.*; & quidquid contra Pontificiam auctoritatem decreverant, irrita esse declaravit, quique ea tuerentur, dignitatibus (a) ejecit.

In Lateranensi Concilio, cui Ludovicus Rex Christianissimus adhæsit, ut fides est habenda mandato Regio, quod in sessione octava extat; Leo X. sessione X. *Conciliabulum* appellat Basileense Concilium, & *conventiculum, quod Concilium amplius appellari non merebatur*.

Joannes tandem de Turrecremata, qui Concilio Basileensi interfuit, ejusque maxima pars fuit, loquens de Concilii Basileensis decreto, quo Pontifici Concilium præferre conati sunt, hæc habet Lib. 2. de Eccles. cap. 100.: „Licet „Ba-

(a) *in actis Concilii Session. 16.*

„Basileenses cum maximo studio, repetitis vi-
„cibus supplicaverunt, oraverunt, & requisi-
„verunt per Oratores suos, ut Dominus Euge-
„nius eorum decreta approbaret, & confirma-
„ret; nunquam tamen talem approbationem,
„aut confirmationem habere ab eo potuerunt,
„& merito: quia Sedes Apostolica, in qua Re-
„ligio Christiana semper immaculata perman-
„sit, & permanebit, talia decreta, quæ ab
„Evangelica veritate, & Sanctorum Patrum
„Doctrina aliena videbantur, nullo modo ab
„eo passa fuisset confirmari. Et infra: non pa-
„rum admirandum est, adversarios Basileenses
„tanta caligine mentis involutos, & excæcatos
„malitia, ut in materiis fidei definiendis, &
„declarandis maluerint sequi homines ab Ec-
„clesia Dei in Doctrina sua damnatos; sicut
„fuit Marsilius de Padua, Guillelmus Ocham,
„& aliquorum Fraticellorum opiniones erro-
„neas renovantes; quàm Doctores Sanctos ab
„Ecclesia approbatos, & alios præstantissimos
„Doctores antiquos, & reputatissimos in Scho-
„la Theologica, quorum Doctrina fulget in
„Ecclesia, ut Sol, & Luna. Contra quos ait
„Augustinus, & habetur in Canone, *non affera-*
„*mus* 24. q. 1.; non afferamus stateras dolosas,
„nec appendamus, quod volumus, pro arbi-
„trio nostro dicentes: hoc grave, hoc leve est:
„sed afferamus divinam stateram ex scripturis
„sacris tanquam Thesauris Dominicis, & in il-
„la, quid sit gravius, appendamus.

Desinant igitur tandem aliquando Galli qui-
dam Sessionis quartæ, & quintæ Constantiensis,

ac

ac Basileensium jactitare decreta; quæ certe quidem quid jam valeant, vidimus; desinant Papæ judicium ante consensum Ecclesiæ accedentem fallibile arbitrari: nisi planè velint apertè a vetustissima, constantique Galliæ doctrina, totiusque Ecclesiæ firma sententia, cujus specimen aliquod hoc in opere, velut in quadam tabella exhibuimus, degenerare.

Alii solent in suæ causæ naufragio memoriam Cypriani, frustra tamen implorare: quippe qui Stephano Papæ neganti Hæreticos rebaptizandos esse restiterit. Nam exemplum Cypriani nihil infallibilitati Papæ potest officere: quia Stephanus nihil adhuc ex Cathedra definiverat, nec sententiam suam ad fidem pertinere solemni definitionis formula, ut Doctor publicus Universali Ecclesiæ patefecerat, eamdemque ad illud dogma credendum obligarat. Turpiter autem Cyprianum errasse, cum Stephano Pontifici repugnavit, nec culpa caruisse ipse rei eventus, Ecclesiæque auctoritas comprobavit, quæ postea Cypriani opinionem ut hæresim perhorruit, & S. Augustinus lib. 1. contra Donatistas cap. 18. dicit *hanc culpam Cypriani falce martyrii fuisse purgatam*.

Hoc igitur Cypriani factum Adversariorum sententiam labefactat, nostram verò mirum in modum confirmat, atque illustrat. Si enim Cyprianus Sanctitate, martyrii gloria, doctrinaque clarus, cujus sententiæ plura Concilia particularia, ac plurimi in Africa, & Oriente Episcopi subscripserant; ubi jam a Romani Pontificis docentis, non definientis sententia

de-

deflexit: & ipse adeo graviter erravit, & secum totum illud Sanctorum Doctorum agmen in errorem rapuit: nonne in apertum interitum ruant illi necesse est; qui nec doctrina, nec sanctitate Cypriani sunt, nec habent pro sua caussa ullius Patris suffragium; & tamen audent solemnibus Papæ definitionibus refragari? cadunt columnæ, quæ in Apostolicæ Sedis petra nequaquam jecerint fundamenta; & arundines stabunt?

Objiciunt Adversarii locum Matth. 18.: „Si „peccaverit in Te frater tuus &c. dic Ecclesiæ: „si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut „ethnicus, & publicanus: amen dico vobis, „quęcumque alligaveritis super terram. Vult ergo Christus (inferunt) ultimum esse tribunal Ecclesiæ, & a Petro ad Ecclesiam, seu ad Generale Concilium tanquam majoris potestatis Judicem provocari; atque adeo etiam Papam Tribunali Generalis Concilii subjectum putant.

RESPONSIO.

HOc Matthæi loco tanquam potissimo fundamento nituntur; sed toto Cælo aberrant. In primis nullus hic sermo de Petro, ejusdemque Successoribus; & tamen de his quęrimus: Quamquam enim Christus Dominus ad Apostolos in communi loquatur; Omnes tamen optimè norunt generali locutione, Articulos speciali nota dignos, & privilegiatos, ut aiunt, non includi. Deinde nomine Ecclesiæ, cui jubet

bet contumaces denunciari, intelligit profectò illos omnes, quibus potestas ligandi, solvendi, puniendique concessa est, ut satis compertum est tum ex fine denunciationis, qui est correctio: tum ex adjuncta illa causali: *Quæcumque enim alligaveritis super terram &c.* manifestum est autem potestatem ligandi, solvendique non tantum ad Concilium Generale, sed etiam Episcopos, aliosque Ecclesiæ Prælatos spectare. Quod si nomine Ecclesiæ Concilium Oecumenicum intelligas; oportebit sanè, quoties Christianus obstinatus, & pertinax furto, adulterio, homicidio peccat; Generalem Synodum celebrari, ut ab ea Rei causa judicetur; quo nihil excogitari, ac dici potest absurdius, difficilius, magisque ab omnium Ecclesiarum more alienum; & tamen dicendum esset, si Christus eo loco Concilium significaret.

Animadvertendum quoque est Christum dixisse: *Si peccaverit in Te frater tuus &c.*, ut ostenderet sermonem non esse de Summo Ecclesiæ Patre, ac Pastore, qualis est Romanus Pontifex. Germanus igitur hujus loci sensus est: *Si peccaverit in Te frater tuus*; isque secretæ, & fraternæ tuæ admonitioni non acquiescat, *dic Ecclesiæ*; hoc est Pastori proprio, qui Ecclesiæ præest, ut optimè, verèque interpretatur Sanctus Joannes Chrysostomus homil. 61. in Matthæum, S. Thomas in 4. D. 19., & 22. q. 24. Beatus Albertus Magnus in Matth. 18., Innocentius III. in cap. *novit.* de Judic. Theophylactus, Euthymius; & alii passim prædicant. Ipse enim Episcopus, cum agit non ut priva-

ta,

ta; sed ut publica persona potestate Ecclesiastica utitur; vulgari jam, & nota phrasi solet Ecclesia (particularis) nuncupari, propterea quia illam repræsentat.

Aliqui spe dejecti ad Honorium Papam tanquam ad Sacram Anchoram, sed frustra solent confugere; nam Honorii causam Sanctus Maximus Martyr, qui ea tempestate floruit, egregiè, splendideque contra Monothelitas calumniatores sic propugnavit, ut eosdem Dialogo contra Pyrhrum elingues reddiderit: legant adversarii Dialogum illum, ut quiescant. Ego quoque abunde satis Libro, cui titulus: *Vetus Græcia*, causam Honorii defendi. Hoc autem loco nihil dicam, dum omnes pro comperto habent nihil Honorium ex Cathedra definivisse; cum Epistolæ illæ, quas ad Sergium dedit, privatæ fuerint, nihilque decidant, nec unam voluntatem in Christo, nec duas dici velit; sed duas naturas cum propriis operationibus: quod planè non est decidere, sed rem suspendere.

At inquies: *Solus Petrus*, teste Augustino, *totius Ecclesiæ meruit gestare (a) personam*.

RESPONSIO.

Optimo jure *Solus* Petrus totius Ecclesiæ gestavit Personam, ut Princeps, si eidem Magno credis Augustino sic tonanti: „Quis „plebeum Piscatorem (*b*) facile crederet PRIN- „CI-

(a) Serm. 108. (b) Sermone de Petro, & Paulo.

„CIPEM Regibus obsistere, Reges sanctifica„re, Regnis omnibus imperare, mundum fræ„nare legibus?

Gregorius Nazianzenus de Petro loquens: „Vide (inquit) quemadmodum ex Christi di„scipulis hic petra vocetur, atque Ecclesiæ fun„damenta (a) fidei suæ credita habeat, ac reli„qui discipuli posthaberi se tranquillo animo „ferant. Et Beatus Joannes Chrysostomus de Petro ita scribit: „Primus omnium (Apostolo„rum) in negotio auctoritatem exercet, quip„pe cujus potestati omnes traditi fuerint. Ad „hunc (b) enim dixit Christus, & Tu aliquan„do conversus confirma fratres tuos.

In Concilio denique Ephesino primo Generali hæc audio: „Nulli dubium est, imo sæcu„lis notum omnibus, quod Beatissimus Petrus „PRINCEPS, ET CAPUT APOSTOLO„RUM, Columna fidei, & Ecclesiæ Catholicæ „fundamentum, a Nostro Jesu Christo Claves „Regni accepit, solvendique (c) ac ligandi po„testas ipsi data est; qui ad hoc usque tempus, „ET SEMPER IN SUIS SUCCESSORIBUS „VIVIT, ET JUDICAT.

FINIS.

IN-

(a) *de moderat. in disput. servand.* (b) *Homil. 3. in cap. 1. Act.* (c) *Action. 3.*

INDEX RERUM.

D

E

G

Hif-

H

I

L

M

N

P

Q

Ro-

R

S

FINIS.

Errata	*Corrige*	*pag.*
Paluzius	Baluzius	32
consuluerunt	consuluerint	20
Facultare	*Facultate*	125
CAPUT II.	CAPUT I.	125
CAPUT XI.	CAPUT I.	127
prophanus	profanus	55
prophanarum	profanarum	71
prophanus	profanus	93
facultare	facultate	101

Vidit D. Jo: Chrysostomus Piazza Cler. Reg. S. Pauli, in Ecclesia Metropolitana Bononiæ Pœnitentiarius pro Eminentissimo, & Reverendissimo Domino D. Jacobo Cardinali Boncompagno Archiepiscopo, & Principe S. R. I.

Imprimatur.

Fr. Th. Maria Caneti Provicarius S. Officii Bononiæ.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]